DE METAPHORIS PLAUTINIS ET TERENTIANIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. MENSIS JULII A. MDCCCLXXIV. HORA XI.

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

Bruno Graupner

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

HENRICUS HOLLECK, CAND. PHIL.

RICHARDUS WENDE, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE,

IMPRESSERUNT BREHMER & MINUTH.

[1874]

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM.

Hominis ingenium non tam designat id quod loquitur quam ratio qua loquitur; nam fieri potest, ut quis de materia quam nec suo debeat ingenio nec totam animo comprehenderit, ita disserat, ut se eruditissimum simulet, sed quin elocutionibus ac praesertim imaginibus ad orationem illustrandam nequeat recte uti nisi res unde sunt petitae prorsus perspexerit, dubitandum non est. Itaque explicatur cur, qua quis se re exerceat quoque animum soleat advertere, inde quam saepissime ducat metaphoras. Sed illa sententia probata, quid mirum, vel plurimorum ingenia scriptorum facillime dignosci posse, si metaphoras quibus sunt usi, examinaveris, me concludere, eodemque spectare, utrum quaeras, a quibus scriptor petiverit rebus imagines, an quaeras, in quibus scriptoris animus rebus soleat commorari? Deinde scribenti rationem esse ducendam, cujus sint lecturi ingenii quibusque artibus politi, per se intellegitur. Jam vero ut supra de scriptoribus contendi, ita idem ego contenderim legentium quoque ingenia non modo cognosci posse ex sententiarum quas legant sensu, sed etiam ex genere scribendi quo usus est scriptor et, ni fallor, ante omnia ex imaginibus quibus ille ornavit orationem, cum nisi ab iis rebus quae omnino lecturo sint notae ac perspectae peti non possint. Quo considerato, et scriptoris et legentis ingenium saepenumero ex ratione qua sint sententiae prolatae, ex imaginibus potissimum, discerni concluditur.

Jam oratio nostra eo deducta est, ut facile, cur Plauti Terentiique metaphoras collectas pro generum diversitate digerere ac disponere mihi certum deliberatumque sit, intellegas. Exordium igitur capere mihi liceat a verbis quibusdam G. A. Bekkeri quae fecit in „De comicis Rom. fabulis maxime Plaut.“ quaestionibus (Lipsiae 1837) p. 27: „Soleo autem Plauti exemplaria non solum delectationis causa versare, quam inde capio maximam, nec qui criticis curis vitia emendem, quamquam ab eo negotio non licet vacuo esse lectori diligenti; verum praecipue rerum antiquarum causa, vitaeque et morum illius temporis cognoscendorum. Ex quo enim scriptore res veterum domesticas vitamque privatam plenius cognoscere sperabimus, quam ex eo, qui in ipso familiae coetu nos sistit, consiliis adhibet auditores; omnium quae clam palamve aguntur spectatores, qui domus ipsas recludit, et sui temporis castigator candidissimus ad vitam expressam ob oculos nobis ponit aetatis imaginem? Quamquam habet haec cognitio nonnihil difficultatis propterea, quod tractans non Graeca solum argumenta, sed e poëtarum Graecorum fabulis petita, non potuit

Plautus non miscere Graecos mores Romanis, quod interdum ita ridiculum est, ut consulto a poëta, risum populi captante, factum esse videatur.“ Probo; nam comoediam imitationem vitae speculum consuetudinis esse cum Cicero et jam antea Livius Andronicus dixerint, si fides scriptori „de comoedia“ p. LVII. apud Westerhov. (p. XVI. edit. Klotz), recte dubitaveris, num Romanis spectatoribus Plauti Terentiique fabulae placiturae fuissent nisi in Graecis imitandis ita interpretis personam deposuissent, ut, quaecunque a popularium moribus cogitandique ratione abhorrebant, aut resecarent aut Latino quasi colore inducerent, ut passim Romae fora, vias, templa, magistratus commemorarent, ut non raro instituta ac mores Romanos respicerent, quo magis auditorum animi retinerentur. Quare operae pretium fore, si quis comicis nostris Romanis ac praesertim Plauto, quem a Graecis, ad quorum exemplum suas fabulas conformaret, summa fere licentia digressum saepenumero res Romanas, Terentium multo modestius spectasse non ignoras, eo consilio diligenter studeat, ut rei publicae Romanae instituta, magistratus, civium mores ac vitam privatam, totam denique antiquitatem illustret, libenter assentior Bekkero. Neque vero fugit virum doctissimum, fieri non potuisse, quin et ipse Plautus, quocumque erat studio ab exemplaribus Graecis liberius recedendi, cum argumenta, sive fabularum adumbrationem personarumque lineamenta ab illis acciperet, multas res Graecorum proprias Romanis institutis ac moribus insereret; quas immixtas discernere sat habet difficultatis. Sed etiam alia est via, qua certius quales Plauti Terentiique temporibus fuerint Romani quibusque studuerint rebus cognoscamus. Initio disputationis recte demonstrasse mihi videor, praecipue ex metaphoris quae insint in carminibus quibusvis, et scriptoris et lectoris ingenium dignosci posse. Nec minus id de Plauto Terentioque statuerim; cumque eorum lectores vel auditores essent universus populus Romanus, viri et summi et infimi subsellii, comicos imagines metaphorasque nisi ab iis rebus quarum pariter omnibus esset cognitio, non duxisse ex supra dictis intellegitur. Forsitan dixerit aliquis, Plautum et Terentium ut multos fabularum Graecarum locos ad verbum vertentes saepe res Romanis novas enarrarent, ita metaphorarum haud paucas quae a Romanorum sensu atque eruditione essent alienae, a Graecis adscivisse. Certe do, nonnullas esse non vere Romanas, sed ne eae quidem, ut intellegerentur, nisi a rebus universo populo cognitis petitae esse nequeunt. Sed priusqam ad metaphoras transeam componendas, ne quis me negligentiae insimulet, mihi monendum videtur, me metaphoras non rhetorum more tractaturum, sed ita historicorum, ut vitam populi Romani, quae fuerit Plauti et Terentii temporibus, illustrem.

Primum igitur, quoniam natura fert, ut fere semper in rebus cognoscendis a nobis ipsis exordiamur, videamus, quas Plautus Terentiusque metaphoras ab h o m i n i s c o r p o r e iisque rebus et

affectibus duxerint quibus illud expositum atque obnoxium est. Ut omnes poëtae saepissime, hominem significaturi, unam tantum corporis partem nominant, ita comici nostri hoc imaginum genere permultis locis usi sunt, sicuti Plaut. Aul. v. 422[1]): „si hoc caput sentit", Most. v. 300: „Triginta minas pro capite tuo dedi." Sed cum hujusmodi metaphorae minime sint Plauti Terentiive propriae neque quidquam habeant, quo se disputationi commendent, alia exempla afferre supersedeo, unum videtur dignum, quod hoc loco observetur: nautas enim Plaut. Men. v. 350 (349 Br.) alloquitur „navales pedes."[2]) Poen. V, 5, 31: „hallex viri"[3]) Plautus dicit de homine admodum parvo quem nos appellamus Duodezmännchen. Servorum rationem loquendi incomtam atque asperam redolent hae Plauti metaphorae: Stich. v. 191: „Ei hercle verbo lumbos defractos[4]) velim" pro „verbum hoc deleri velim", et Truc. II, 8, 8: „Ut ego suffringam hisce talos totis aedibus", ubi „aedibus talos suffringere" dicitur pro „aedes diruere." — Most. v. 266 (256 L.): „Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo dimminuam caput." Men. v. 157: „Dies quidem jam ad umbilicum[5]) dimidiatus mortuost" i. e. diei dimidia pars jam praeteriit. Capt. v. 464: „Nam hercle ego huic die, si liceat, oculos ecfodiam lubens" i. e. lucem eripiam. Altera imago a sensu videndi petita est: Pseud. v. 301: „Emito die caeca[6]) hercle olivom, id vendito oculata die." „Caeca die emere" vel „vendere" est emere vel vendere solutione in

---

[1]) In versibus Plauti numerandis secutus sum Ritschelium, Fleckeisenum, Brixium, Lorenzium, Wagnerum, Gronovium, in Terentianis Bothium.

[2]) Probabilissima hujus metaphorae explicatio videtur mihi esse eorum, qui navales pedes per jocum remiges dici credunt, quia navis quasi pedes sint. Sunt qui pedes intellegant pueros seu ministros a Graeco παῖδες; quae interpretatio mihi quidem non arridet, cum epitheton Latinum cum substantivo Graeco conjungere a Plautina consuetudine abhorreat.

[3]) Sunt qui hallex sive allex ducant a verbo allicere, ita ut sit allex is qui allicit, allector, igitur nostro loco allex viri = cinaede. Alii legunt alex et exponunt faex virorum. Sed cum Gloss. Isid. vocem allex sive hallex idem significare, quod pollex pedis explicent, haud dubie interpretatio quam supra recentiores omnes secuti statuimus, sola probanda est.

[4]) cf. Hor. epod. XI, 22: „Limina dura, quibus lumbos et infregi latus."

[5]) Saepissime etiam post Plautum umbilicus translate usurpatur: Cic. Verr. 2, 4, 48: „Qui locus, quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur"; Liv. 35, 18: „Aetoli, qui umbilicum Graeciae incolunt." Adde Plin. 3, 12, 17 et Accium ap. Varr. L. L. 6, 2 et. ap. Cic. Div. 2, 56, ubi Delphi umbilicus terrarum dicuntur, et ab Auct. Priap. 77 umbilicus orbis, et a Liv. 34, 48 umbilicus orbis terrarum. Graeci pariter voce ὀμφαλὸς sunt usi: cf. Hom. Od. I, 50, ubi Ogygia insula, quam Calypso incolebat, vocatur ὀμφαλὸς θαλάσσης; Delphi dicuntur ὀμφαλὸς a Pindaro (Pyth. 4, 131; 6, 3; 8, 85; 11, 16), ab Aeschylo (Eum. 40); adde Pausan. 10, 16, 2.

[6]) Similiter voce caecus translate usi sunt pro incerto, dubio: Cic. Agr. 2, 25: „Nolo suspensam et incertam plebem Romanam obscura spe, et caeca exspectatione pendere"; Virg. A. 6, 157: „caecosque volutat Even-

diem incertam prolata, contra „oculata“ est praesenti pecunia emere vel vendere. Aliam huc retulerim metaphoram quae fere in proverbii consuetudinem jam venit: Pseud. v. 104—7:

„Spero alicunde hodie mea bona opera hercle aut mala
Tibi inventurum esse auxilium argentarium
Atque id futurum unde, unde dicam nescio,
Nisi quia futurumst: ita supercilium salit.“[1])

Quod a Romanis dicitur, quoties bona quaedam spes est, quippiam processurum, quod optamus. Eodem sensu, quo illud „supercilium salit“, Plautus posuit verbum „prurire“[2]); ita Pers. v. 31: „Tox. vives mecum, Basilico accipiere victu. Sag. Vah, jam scapulae pruriunt Quia te istaec audivi loqui.“ Amph. v. 295: „Perii, dentes pruriunt. Certe advenientem hic me hospitio pugneo accepturus est.“ Mil. glor. v. 395: „Timeo quid rerum gesserim: ita dorsus totus prurit.“ Mil. glor. v. 34: „auribus Perhauriendumst, ne mihi dentes dentiant.“[3]) Poen. III, 3, 87: „Vetustate vino edentulo[4]) aetatem irriges“ i. e. vino vetere, quia ut senibus dentes excidunt, ita vinum vetustum sine dentibus est, i. e. acerbitatem deposuit. Metaphora jam per se intellegenda neque interpretatione egens est „medullitus“ pro „penitus“: Most. v. 241 (234 L.): „Ut videas eum medullitus me amare“; Truc. II, 4, 85: „Ostendit sese jam mihi medullitus, Se mihi infidelem numquam, se viva, fore.“ Singularis quaedam metaphora extat Epid. V, 1, 21: „pedibus pulmoneis[5]) Qui perhibetur, prius venisset, quam tu.“ De homine tardo

---

tus animo secum.“ Ceterum Scaliger ad hunc Plauti locum Catonem dixisse „die vendere“ pro „praesenti vendere pecunia“ annotat.

[1]) Metaphora sumpta est a superstitione vulgi, boni augurii loco habentis, si membrum aliquod sine evidenti causa moveatur, si dexter oculus subsiliat, si dextra auris tinniat. Eadem fere superstitione nisi nos dicimus: „Das Auge krimmt mich, der Handteller juckt mir.“ Graecum proverbium, quod respondet Latino, vide apud Erasm. ex Theocr. Idyll. 3, v. 37: *"Αλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός· ἆρα γ᾽ ἰδησῶ αὐτάν.*

[2]) Ut ante supercilio saliente, ita in superstitione antiquorum erat, ut si quod pruriret membrum, boni aliquid aut mali ominarentur.

[3]) „Dentes esuritorum hic dentire dicuntur; ut enim pueri dentire dicuntur, cum eis primum oriuntur: sic quibus cessant a terendo cibo, quia non deteruntur, grandescere videntur, atque dentire, populari joco.“ Turnebus.

[4]) cf. Alexis: *᾽Ορχηστρίς* v. 4: *ὀδόντας οὐκ ἔχων* (sc. *οἶνος*).

[5]) Quamquam sane habere hanc metaphoram, quod mireris, concedo, tamen a conjectura abstineo, locum nostrum cum plerisque sic interpretans, ut pulmoneos, quippe cum pulmo ossibus omnino careat, appellatos pedes quasi exosses putem eamque ob causam ineptos ad ingrediendum. Sed magis est, quod hanc in sententiam adducar: Plinius enim mala quaedam carnosissima pulmonea appellat nomine certe a pulmonis natura capto. Bothius et Jacobius scribi voluerunt „pedibus pulmon'es Qui perhibetur? Prius“ etc. Sed primum non extat locus, quo pulmonis, quem piscem Graeci vocant *ἁλιπλεύμονα*, tanditas probetur; cf. Plin. 9, 47, 71; 18, 35, 85; 32, 9, 36; 32, 10, 46. Tum vero nusquam, opinor, Plautus tali limitationis ablativo usus est, qualem Jacobius coniiciendo inseruit textui pedibus pulmo; poëta noster potius, ni

dici omnes consentiunt, sed verba illa recte tradita sint, necne, quoque modo, verbis non mutatis, metaphora sit explicanda, inter criticos non convenit. — Neque vero a corpore tantum, sed etiam ab affectibus, quibus obnoxium est, comicos petivisse imagines, jam in hujus disputationis capite commemoravi. Ita Most. v. 829—30 (816—17 L.): „Viden coagmenta in foribus? Th. Video. Tr. Specta, quam arte dormiunt. Th. Dormiunt? Tr. Illut quidem, ut conivent, volui dicere.“ Forium juncturas minime laxas servus ridicule dicit prius dormire, deinde etiam conivere, ex oculis dormitantium ducta metaphora. Curc. v. 153: „Hoc vide ut dormiunt pessuli pessumi“ i. e. non commoventur. — Asin. v. 276: „Etiam de tergo ducentas plagas praegnatis dabo.“ Trin. v. 28—31: „Nam hic nimium morbus mores invasit bonos. Ita plerique omnes jam sunt intermortui. Sed dum illi aegrotant“ etc.; hoc igitur loco malos mores Plautus comparat cum hominis corpore, quod sit infirma valetudine. Similiter dicit Plautus Trin. v. 72: „Nam si in te aegrotant artes antiquae tuae.“ Facete joculatur idem poëta Poen. I, 2, 132—33: „Sunt mihi intus nescio quot nummi aurei lymphatici. Deferto ad me, faxo actutum constiterit lymphaticum.“ Ut lymphatici vocantur homines insani ac furiosi, ita nummi, quod in crumena consistere nequeunt et exsilire gestiunt. — Reliquum est, ut videamus, quas imagines Plautus Terentiusque ab homine moriente sumpserint. Trin. v. 1092: „res quom animam agebat“ i. e. cum in eo erat, ut res familiaris tota periret; itemque Truc. IV, 4, 23: „a milite omnis tum mihi spes animam efflaverit“; Amph. v. 673: „Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero“, i. e. nisi puteum exsiccavero; aqua enim puteo, quod anima est animantibus. Capt. v. 650: „Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo.“ Men. v. 157: „Dies mortuost.“[1]) Stich. v. 211—12: „Potationes plurumae demortuae Quot adeo cenae, quas deflevi, mortuae.“ Cas. III, 5, 1: „cor metu mortuum est“; Epid. I, 2, 14: „si ad rem auxilium emortuum est.“ Cist. I, 1, 64: „Indidem, unde oritur, facito, ut facias stultitiam sepelibilem“ pro „facito, ut stultitiam tuam celes.“ Ter. Phorm. v. 905: „sepultus sum“[2]) i. e. perii. Amph. v. 1053: „Spes atque opes vitae meae jacent sepultae in pectore.“ — Jam vero hic aptissime,

---

fallor, scripsisset p u l m o n ' e s sine ullo additamento, sicuti Merc. v. 361: „Muscast meus pater“, ibid. v. 557: „Itane vero, vervex“ aliisque locis. Denique in conjectura Bothiana haud minus a Plauti usu loquendi alienum videtur illud q u i p e r h i b e t u r.

[1]) Dies mori dicitur, cum in occasu sol est. Stat. Silv. 4, 6, 3: „Jam moriente die rapuit me cena benigni Vindicis. cf. Menandri sent. 498 (Meinek. edit. maj.): *Τέθνηκεν ἀνθρώποισιν ἅπασα χάρις* et fragm. ex Philemonis fabula quae appellatur *Πυρρός*: *Τέθνηκε κοινῇ πᾶς ὁ τῶν ζώντων βίος.*

[2]) Translatio partic. s e p u l t u s saepissime fit: Cic. Cat. 4, 6; id. Manil. 11; Vell. 2, 75; Quint. decl. 2, 24; Fragm. Petr. p. 675 Burm., Hor. Od. 4, 9, 29, Prop. 3, 9, 56, Virg. A. 2, 265.

opinor, adduntur metaphorae, quas poëtae nostri duxerunt et ab iis, quibus cura mortui tradita est, et a justis exsequiarum. Eun. v. 297: „jam conclamatum est,“ proprium eorum, qui morientibus assistunt, et translate pro „finitum est, desperatum est.“ Solebant enim cadaverum faciem pluries frigida abluere, nomenque eorum clara voce inclamare, ne forte syncope correptos pro mortuis sepelirent. Men. v.156: „clam uxorem ubi sepulcrum habeamus, hunc comburamus[1]) diem.“ Pseud. v. 1278: „nenia ludo id fuit.“ Notum est, neniam cani solitam iis, qui vita excesserant; inde tracta loquendi ratione, hic nenia ludi esse dicitur ludi finis. Truc. II, 1, 3: „Huic homini amanti mea hera apud nos dixit neniam de bonis“ i. e. per luxuriam consumsit et effudit bona. Men. v. 492 (488 Br.): „Fecisti funus med absente, prandio“ i. e. consumsisti prandium. Asin. v. 892: „Perii misera: ut ausculatur carnufex, capuli decus“; sic vocatur senex morti propinquus. — Noli credere, corpus ut emortuum nos jam esse relicturos; sed denuo illud excitabimus. Postremo enim nobis videndum est, quasnam imagines Plautus Terentiusve a stomacho petiverint. Trin. v. 102: „Hostisne an civis comedis“[2]) parvi pendere“; Most. v. 11: „Sine modo venire salvom, quem absentem comes“; Truc. II, 7, 36: „Qui ipsus se comest,“ ubi comedere aliquem est ejus rem consumere, eum perdere. Epid. III, 1, 1: „Exspectando exedor miser, atque exenteror“, ubi „exedor“ idem est quod crucior. Haut. tim. v. 621: „Crucior, bolum[3]) mihi tantum ereptum tam desubito e faucibus“; Pers. v. 658: „Dabit haec tibi grandis bolos“; Truc. IV, 2, 12: „sed Jntus, bolos quos dat.“ Pers. v. 849: „Loquere tu etiam, frustum pueri“, quod est convicium in puerum brevi statura. Cist. IV, 2, 54: „atque istuc mihi cibus est, quod fabulare“ i. e. grata mihi loqueris. — His metaphoris si nonnullas addidero jam tritiores atque etiam a scriptoribus posteriorum temporum usurpatas, omnes imagines, quas comici nostri ab hominis corpore duxerint, cum pulvisculo puto exhaustas fore. Pseud. v. 76: „Pumiceos oculos habeo: non queo Lacrumam exorare ut expuant[4]) unam modo“; Eun. v. 355: „quasi ubi illam exspueret mi-

---

[1]) Comburere diem est totum diem hilare et congraecando transigere, usque dum nox ingruat. Tum enim dies quodammodo moritur. Mortuorum autem corpora in rogis comburuntur; eadem ratione „diem componere“ dixit Virg. A. 1, 378 et „condere diem“ Hor. Od. 4, 5, 29 (nos: den Tag todtschlagen).

[2]) cf. has metaphoras Graecas: Philem. *Μετίων ἢ Ζώμιος: τὸν πατέρα κατήσθιεν;* Menandr. *Παρακαταθήκη: Μακάριος ἐκεῖνος δεκατάλαντον καταφαγών;* id. Fab. inc. LXXIX: *Τοὺς τὸν ἴδιον δαπανῶντας ἀλογίστως βίον Τὸ καλῶς ἀκούειν ταχὺ ποιεῖ πᾶσιν κακῶς;* Diph. *Ζωγραφος* fr. II, 27: *τὰ πατρῷα βρύκει και σπαθᾷ.*

[3]) Bolus vox, quae proprie offam significat, tum transfertur ad lucri damnive notionem exprimendam. Sic etiam Varr. R. R. 3, 14: „Cochleae magnum bolum deferunt aeris“; id. R. R. 3, 2: „Sed ut ad hunc bolum pervenias.“

[4]) Transl. invenias exspuere: Lucr. 2, 1038; Senec. Ira 3. f.; Val. Flacc. 3, 107; Sen. Thyest. 245; Herc. Oct. 1469 et Troad. 1169.

seriam ex animo.“ Adelph. v. 286: „Ut ego iram hanc in eos evomam[1]) omnem“; ibid. v. 484: „ut in eum haec evomam“; Hecyr. v. 458: „Atque in eam hoc omne, quod mihi aegre'st, evomam“; Curc. v. 688: „Atque argentum propere propera vomere“; „exspuere“ et „evomere“ translate est „emittere.“ Most. v. 652 (637 L.): „Absolve hunc quaeso, vomitu ne hic nos enecet“ i. e. conviciis suis, quae in nos evomiturus est. Metaphora servilis et jocosa invenitur Epid. III, 4, 58.: „Qui me emunxisti mucidum, minimi preti“ i. e. me delusum argento spoliasti. Most. v. 1109 (1095 L.): „probe Med emunxti.“ — Transeo ad metaphoras ab a e d i b u s iisque rebus, quae huc pertinent, petitas. Most. per totum fere canticum primum [inde a v. 101 (97 L.) usque ad v. 148 (141 L.)] Plautus humanae vitae cum aedibus instituit comparationem, qua quia pulchriorem nusquam, opinor, inveneris, his chartis summatim lectoris pace tradatur. Ut fabri summa diligentia, summis sumptibus id agunt, ut domino aedes firme exstructas et bene exornatas tradant, ita parentes impensae non parcunt, labores non evitant, quo liberi optime educati omnibusque expoliti artibus ad suscipienda in civitate munia se ipsi idoneos reddant. Sed aedificii dominus, qua est socordia, tegulas imbre ac tempestate confractas, parietes putrefactos negligit, donec totae aedes corruunt. Ut igitur aedificium bene exstructum et munitum domini negligentia, ita saepissime juvenis literis artibusque ornatus omnibus sua ipsius culpa interit. Nam adolescentem, sicuti aedibus irruere imbres ac tempestates videmus, ignavia atque amor invadunt et omnibus, quibus ille praeditus erat, virtutibus expulsis ad postremum perdunt. — Metaphoram, quae prorsus respondet huic comparationi, invenies Trin. v. 132: „qui exaedificaret[2]) suam incohatam ignaviam“, ubi mali mores

---

[1]) Eadem signficatione dixit e v o m e r e Cic. Am. 23; id. Phil. 5, 7; id. Cat. 2, 1; Plin. 5, 9, 10. Jam vero Graecos eadem usos esse metaphora fragm. ex Diodori fabula quae dicitur *Αὐλητρίς* (v. 3) petitum probare videtur: *τοὺς λογισμοὺς δ' ἐξεμεῖ* (*ἐξευεῖ* est Dobraei conjectura mihi quidem probata).

[2]) Hanc metaphoram Plautinam redolet Ciceroniana, quae extat Or. I, 35: „Ne gravere exaedificare id opus, quod instituisti;“ neque vero quemquam fugit, hanc metaphoram Plautina multo minus singularem esse. Sed operae pretium mihi videtur probare, imaginem laudatam cum insignissimam tum vero etiam pulcherrimam ingenio Graeco, non Romano, deberi. Ita Xen. Cyr. 8, p. 139 (c. 7, 15): *Ἐπὶ ταῦτα εὐθὺς ο ἰ κ ο δ ο μ ε ῖ τ ε ἄλλα φ ι λ ι κ ὰ ἔ ρ γ α.* Charito p. 128, 6: *Δεῖ ταῦτα πρότερον ο ἰ κ ο δ ο μ ῆ σ α ι καλῶς,* quocum loco Plautinum „exaedificare incohatam ignaviam“ confert Valkenaer. Aristoph. Pac. 749: *„Ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ' ο ἰ κ ο δ ο μ ή σ α ς ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις.* Quibus ex locis jam satis elucere puto, pariter comicos Graecos hac usos esse imagine, ad quam Plautum suam conformasse. Sed eadem vox Graeca metaphorice etiam sensu Christiano posita est Nicet. Paphl. Laud. S. Eust. p. 54: „Boiss. Gregor. 2 pap. in Epist. 2 ad Leonem Isaurum imp.: *καὶ τοὺς ἐλθόντας ἐκ τῶν ἐθνῶν δακτύλῳ δεικνύντες τὰς ἱστορίας οὕτως αὐτοὺς ο ἰ κ ο δ ο μ ο ῦ σ ι καὶ τὸν νοῦν καὶ τὰς καρδίας ἄνω πρὸς θεὸν ἀναφέρουσι.* Jam vero hanc metaphoram Graecis propriam esse

comparantur cum aedificio incohato. Ab aedibus ardentibus tracta est allegoria in Trin. v. 675—78: „tuom incendes genus Atque si eris nanctus, proinde ut corde amantes sunt cati Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuom.“ Eodem referendus est Merc. v. 590: „Ita mi in pectore atque in corde facit amor incendium.“ Trin. v. 320: „Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant“[1]) i. e. ne quid vitii contrahant, ut aedes male tectae, quae imbrem transmittunt. Mil. glor. v. 211: „Nam os columnatum poëtae esse inaudivi barbaro.“ „Os columnatum“ i. e. caput brachio tamquam columna nixum. Ceterum poëta barbarus hic dicitur Naevius. Haut. tim. v. 429: „Quantam fenestram[2]) ad nequitiem patefeceris“; ubi „fenestra“ metaphorice positum est pro „aditus“, „occasio.“ Conclamatae imagines ab externa aedium specie omnes ductae sunt; jam igitur introeamus. Pers. v. 203: „Commorandumst jam mihi aput hanc obicem“ dicit puer de Sophoclidisca ancilla se instar obicis remorante. Amph. v. 3—4: „Quid faciam, nunc si tresviri me in carcerem compegerint? Inde cras e promptuaria cella[3]) depromar ad flagrum.“ Cum cella promptuaria comparatur carcer, ubi captivi ita servantur usque ad supplicium subeundum, ut in illa res conduntur, subinde promendae in usum familiae.. — Quandoquidem limen Romanum intravimus, optimum mihi videtur, jam nunc cognoscere, quasnam metaphoras Plautus Terentiusque traxerint et a supellectile, exceptis vasis culinariis, quae paulo post separatim tractabimus, et a familia ipsa. Pers. v. 515: „Nequiquam tibi Fortuna faculam lucrifica adlucere volt“, quo versu dicit poëta occasionem viamque lucri faciendi a Fortuna praeberi. Pers. v. 533: „Numquam ego te tam esse matulam credidi“, ubi „matula“ convicium est hominis vilis, meticulosi,

---

luce clarius est, quod in Libris Sacris nisi apud Paulum, virum literis Graecis plane eruditum, non invenitur *οἰκοδομεῖν* translate dictum, sicuti I. Cor. 8, 1 *ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ;* accedit I. Cor. 8, 10; 10, 23; 14, 4; 14, 7; I. Thess. 5, 11; *διὸ παρακαλεῖτε ἀλλήλους, καὶ οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα.*

1) „Perpluere tecta ipsa dicuntur, cum tegulis vitiatis imbrem immittunt“ (Lindem. ad h. l.). Ceterum sententiae sensus hic est: Vetera benefacta, nisi novis cumulentur, obsolescunt et obliterantur.

2) cf. Tiberius ap. Suet. Tib. 28: „Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis.“ „„Eleganter sic etiam Graeci: Clemens Paedagogi lib. 3: *Ὡς μὴ ἀκόλαστον αὐτῶν τὸ λάγνον γενόμενον πλατείας ἀναπετάσῃ κλισιάδας τοῖς εἰς ἡδοπάθειαν φερομένοις.* Paullo aliter Cassiodorus lib. 8: „Ideo beneficiis nostris quasi quandam januam cogitavimus dare quaestorem.“ Legas et: „januam cogitationis ingredi“ lib. 5. ejusdem prudentissimi scriptoris.““ Haec Casaub. ad Suet. locum.

3) Metaphorice positam vide hanc vocem ap. Ausonium ep. 21. f.: „Aliquid reportans interim munusculi De largitate musici promptuarii“; Apul. Dogm. Plat. 1: „Os aliis animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias comparatum est: sed homini promptuarium potius rectae rationis et suavissimae orationis.“ Sym. ep. 9, 67 (al. 72): „Ut ornatissimae linguae tuae promptuario nunquam desit materia talium nunciorum.“

inepti. Cas. II, 8, 11: „stimulorum loculi“ vocatur ita stimulis fodi solitus, ut totum corpus ejus stimulorum loculi esse videantur. — Ex familia patris, heredis, promi fit commemoratio in metaphoris Plautinis: A patribus, qui liberos ante pedes positos tollebant, adscita est metaphora: Mil. glor. v. 293: „Verum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam“ i. e. fabulae auctorem te non confitearis neque eam pro vera agnoscas. Bacch. v. 849: „nive exheredem fecero vitae suae“ i. e. nisi vita privavero. Trin. v. 81: „Ne admittam culpam ego meo sum promus[1]) pectori“ i. e. custos et quasi cellarius. Quamquam parasitos in domesticorum numerum referri non posse haud ignoro, tamen se ipsi ad familiam locupletioris cujuslibet applicare adeo amant, ut metaphoram, quam Plautus ab illorum immodestia atque edacitate petiit, aptissime hic addere mihi videar. Epid. II, 3, 6: „Ne ulmos parasitos[2]) faciat, quae usque adtondeant.“ Servorum neminem nisi promum in metaphoris Plautinis Terentianisve commemorari jam vidimus; sed a victu, qui illis praebebatur quique Donato[3]) teste demensum dicebatur Plautus metaphoram duxit: Men. v. 14: „Nunc argumentum vobis demensum[4]) dabo Non modio neque trimodio, verum ipso horreo“, quibus verbis poëta se fabulae argumentum copiose atque abundanter significat esse narraturum. — Cum igitur aedes, quas nobis uterque comicus imaginibus suis descripserat, extrinsecus oculis perlustratas initio timidius ingressi, paulo post confidenter ibi consederimus, ut res et homines, quos aedes continent, cognoscamus, liceat mihi jam nunc adiicere metaphoras, quas illi poëtae ab hospitii necessitudine duxerunt, etsi hospites non magis quam parasitos familiae adnumerandos esse concedo. Capt. v. 523: „Nec confidentiae usquam hospitiumst, nec devorticulum dolis.“[5]) Trin. v. 553: „Hospitiumst[6]) calamitatis“; ibid. v. 673: „Insanum malumst hospitium, devorti ad Cupidinem“; Amph. v. 296: „Certe advenientem hic me hospitio pugneo accepturus est.“ — Antiquis mos erat dare hos-

[1]) Sic Apul. promum librorum appellat illum, qui libris promendis praeest.

[2]) „Parasitorum est mensas divitum adtondere et a divitibus semper aliquid abradere. Unde et Phocylides assentatores, qui a Parasitis non multum differunt τραπεζοκόρους „mensarum tonsores“ indigitat. Hoc igitur dicit Epid. Metuo, ne ubi senex resciverit me sibi verba dedisse, faciat ut ulmeae virgae in meo tergo sint veluti Parasiti, meumque corium omni ex parte adtondeant.“ Lambin. Ceterum hanc metaphoram comicis Graecis a Plauto deberi jam nomen parasiti profitetur.

[3]) Donatus ad Ter. Phorm. I, 1, 9: „Quod ille unciatim vix de demenso suo Suum defraudans genium, compersit miser“, servi, inquit, quaternos modios accipiebant frumenti in mensem; et id demensum dicebatur.

[4]) Spartian. Hadr. 7. sub f.: „Senatoribus plerisque in diem vitae suae demensum sine dilatione praestitit.“

[5]) Hunc versum ratus interpolatum Fleckeisenus uncis interclusit.

[6]) Huic similes voces: Plaut. Trin. v. 314: „damni conciliabulum“; Cic. Rosc. Am. § 134: „deversorium flagitiorum omnium“, id. Att. IX, 18: „area sceleris.“

pitibus abeuntibus tesseram dimidiatam, qua, si rediissent, conferendo cum altera dimidia, agnosci possent, et ut veteres hospites admitterentur. Hunc ad morem pertinet metaphora Plautina, quam invenies Cist. II, 1, 27: „Hic apud nos jam, Alcesimarche, confregisti tesseram“ i. e. jus hospitii violasti ideoque amicitiam consuetudinemque pristinam dissolvisti. — Quibus metaphoris alia addatur a tutelae necessitudine petita, quod vinculum sane hospitii vinculo vel arctius putandum est: Trin. v. 1058: „meo tergo tutelam geram“ i. e. ne vapulem cavebo. — Jam igitur rem familiarem, supellectilem, domesticos, hospites, omnia denique, quae ex comicorum metaphoris in aedibus inveniuntur, contemplati culinam, quam separatim a reliqua domo visendam usque adhuc neglegimus, introeamus. Sed ante attulerim metaphoram a convivio de symbolis, quod nos dicimus Picknick, ductam, cum quo loco aptius illa ponatur, vix indicari possit: Epid. I, 2, 22: „Sine meo sumptu paratae jam sunt scapulis symbolae“ i. e. verbera jam tergo imminent. Symbolae enim erant pecuniae, quas sodales una coenaturi pro se quisque conferebant; ad hanc igitur significationem poëta alludens jocosa metaphora utitur. — Sed nunc ad imagines, quae culinam redolent, transeamus. Pers. v. 52: „Usque ero domi, dum excoxero lenoni malam rem magnam“ h. e. dum excogitavero aliquid mali. Poen. III, 2, 9: „Hodie juris coctiores[1]) non sunt, qui lites creant.“ Mil. glor. v. 207—8: „Non placuit, quod repperit: Quidquid est, incoctum non expromet: bene coctum[2]) dabit“ h. e. consilium bene meditatum. — Nihil habet, quod mireris vocabula „salsus“ pro „sagax, ingeniosus“, „insulsus“ pro „ineptus, stolidus“ translate posita; qua metaphora etiam posteriores scriptores persaepe sunt usi. At exempla Plautina afferam haec: Mil. glor. v. 1071: „Non insulsum huic ingeniumst.“ Rud. v. 517: „Qui te ex insulso salsum feci opera mea.“ Alia ejusmodi omitto; sed commemorarim singularem quandam translationem vocis „salsura“: Stich. v. 92: „Quia ita meae animae salsura evenit“,[3]) i. e. quia aliquid graviter fero. Pseud. v. 739: „Ecquid homo habet aceti in pec-

---

[1]) Vulg. et Both. et Lamb. et Pall. ambo: coctiores. Vett. et Ven. doctiores. Sed recte Turneb. Advers. 15, 7 „coctiores, inquit, legendum et ridiculum dictu, juris coctiorem pro juris doctiorem dicere: quod urbanitate comica conditum protulit, ambigui occasione usus. Nam et jus culinarium coquitur; et coctus ac recoctus dicitur, qui in aliqua re tiro non est.“

[2]) Cic. Att. 13, 52 ex Lucilio, ut videtur, „Bene coctus et conditus sermo.“

[3]) Rectam, opinor, metaphorae explicandae viam ingressus est Douza, qui de voce „salsura“: „Translatio, inquit, ad animum a palato, quod nimio sale offenditur.“ Sunt alii, qui verba laudata sic interpretentur: „Halitu vestro, o filiae, bono et sano jam evenit osculis vestris salsura quaedam et condimentum senili animae meae.“ Sed cum Antipho pater filiabus se iratum fingat, talem hujus loci explicationem a totius sententiae sensu abhorrere certe dabis. Mirum quendam ex versu laudato elicit Weisius hunc sensum: „salsi quid edi, unde

tore?" ubi „acetum" est acrimonia, fortitudo, agendi vis ac facultas: Metaphorae, quas adhuc in culina invenimus, nimis salem et vinum acidum sapiverunt; itaque, si placet, aliquid dulcius quaeramus. Rud. v. 364: „ut mulsa[1]) dicta dicis", Poen. I, 2, 112: „ut mulsa loquitur." Cas. II, 6, 20: „Dicam enim, mea mulsa: de istac Casina huic nostro villico Gratiam facias", Stich. v. 755: „Age, mulsa mea suavitudo, salta!" „Mea mulsa" est appellatio amatoria blandientis; similiter nostra lingua dicimus mein Zuckerpüppchen. Amarum dulci admixtum invenies in metaphora, quae extat Truc. I, 2, 76—77: „In melle sunt linguae sitae vostrae atque orationes Lacteque: corda felle sunt lita, atque acerbo aceto." Merc. v. 959: „Nam mea uxor propter illam tota in fermento[2]) jacet", Cas. II, 5, 17: „Nunc in fermento tota est." — Aliquot metaphoras, quas in posteriorum usum venisse non ignoras, Plautus duxit a condimento ciborum: Trin. v. 368: „Sapienti aetas condimentum, sapiens aetati cibust", Rud. v. 402: „Ergo animus aequos optumumst aerumnae condimentum", Poen. V, 6, 33—34: „Nunc quod postremum est condimentum Fabulae, Si placuit, plausum postulat Comoedia"; Mil. glor. v. 191; „Domi habet hortum et condimenta ad omnis molis maleficas" — Apud veteres pisces exossatos esse — id est, ut ait Nonius, ossa detrahebantur, iisque detractis, purgabantur — intellegitur ex pluribus Plauti metaphoris: Amph. v. 318—20; „Merc. Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris. Sos. Mirum, ni hic me quasi muraenam exossare cogitat. Ultro istunc qui exossat homines"; ibid. v. 342: „Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus"? Atque etiam aliae a piscibus parandis sunt ductae imagines: sicuti Epid. II, 2, 2—3: „acutum cultrum habeo, senis qui exenterem Marsupium", ibid. III, 4, 74: „Meum exenteravit Epidicus marsupium", ibid. V, 2, 7: „Ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias." Idem verbum, sed translate pro „cruciare" positum extat Epid. III, 1, 1: „Exspectando exedor miser, atque exenteror." Nunc, si placet, vasa culinaria videamus. Pers. v. 308: „Sed quis hic ansatus ambulat." Iculariter a Plauto dicitur „ansatus" homo, qui spatiatur brachiis subnixis, ut quasi ansas habere videatur. Eun. v. 60: „Plenus rimarum[3]) sum, hac atque illac perfluo." „Plenus rimarum" vocatur qui nihil celare potest eorum,

---

foetet mihi anima." Hoc enim modo si Plauti verba interpretari liceat, Terentium ex Plauto quin vir aliquis doctus faciat, haud dubitem.

[1]) Mulsum est vinum melle admixtum, quae potio fuit antiquis locupletibus et delicatioribus usitata et in deliciis. Itaque translate mulsus est suavis, jucundus.

[2]) „In fermento jacere, ἐν τῇ ζύμῃ κεῖσθαι, dicebantur, qui animo essent aegro, quique iracundia turgerent. Nota translatio. Fermentum enim et acorem habet et tumorem." Lambin.

[3]) cf. Hor. sat. 2, 6, 46 rimosa auris, quae, quasi rimarum plena, non retinet, neque celat, quae audivit.

quae illi creduntur, tamquam vas aquarium rimosum. „Perfluo" i. e. „humorem transmitto" translate „arcana continere nescio." Stich. v. 231: „Parasitum inanem, quo recondas reliquias." Jocose Gelasimus de se ut inani vase loquitur. — Etiamsi jam domum atque adeo omnes ejus angulos ita perscrutatos foras exire nos esse tempus videtur, tamen prius servos iterum convocare mihi liceat, ut metaphoras a poenis, quaecunque illis subeundae erant, ductas cognoscamus. Pseud. v. 15: „sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis" i. e. amando miser sum. Stich. v. 751: „Vapulat peculium! actum est! fugit hoc libertas caput", ubi „vapulat peculium" significat illud minui ac dissipari. Ibid. v. 435—36: „Hunc tibi dedo diem. Stich. Meam culpam habeto, nisi probe excruciavero." [1]) Trin. v. 247: „Ibi illa pendentem ferit." [2]) Phorm. v. 648: „Ad restim[3]) mi quidem res redit planissume," h. e. adeo perditae res sunt, ut de suspendio sit cogitandum. Pers. v. 419: „Scortorum liberator, sudiculum[4]) flagri." Phorm. v. 658: „nostra causa scilicet In nervom potius ibit" i. e. minus prospere procedet, tristem habebit exitum. Nam „in nervom ire" idem significat quod „in vincula coniici." Eadem ratione, ni fallor, explicatur Phorm. v. 291: „Vereor, ne istaec fortitudo in nervom erumpat denique", quamquam alii metaphoram a sagittariis, qui immoderatis plerumque viribus nervum rumperent, natam esse putant. — Aedibus perlustratis, jam, si placet, virum Romanum fora petentem persequamur. Non ita multas duxerunt Plautus et Terentius a vestibus, quas induere veteres solebant. Capt. v. 521: „Nec sucophantiis nec fucis ullum mantellum[5]) obviamst" i. e. quodlibet tegmen ad occultandum dolum. Capt. v. 187: „Nam meus scruposam victus commeat viam. Er. Nunquam istoc vinces me Hegio, ne postules: Cum calceatis dentibus veniam tamen." Metaphora

---

[1]) „Me accusato, nisi ego hunc diem totum in Genio curando consumsero. Quasi dies videatur vexari cum eum potando, obsonando, scortando conterimus." Lambin.

[2]) „Alluditur h. l. ad gravissimam illam servorum poenam, qui pendentes, h. e. de tigillo suspensi virgis caedi solebant. Hoc igitur vult: ibi gravissime amatorem punit mulier, tum jam plane cum depeculatur." Lindemann.

[3]) Caecil. ap. Non. 3, 64: „Ad restim res redit, immo collus, non res: nam ille argentum habet." Huc pertinet illud Mart. 4, 70: „Nil Ammiano praeter aridam restem Moriens reliquit ultimis pater ceris" h. e. laqueum, quo se suspenderet.

[4]) Paul. ex Festo: sudiculum, flagelli genus erat, quod vapulantes sudantes facit; sudiculum flagri h. e. qui saepius exercendo ipsum quasi flagrum sudare faciat.

[5]) Huic similes conferantur metaphorae ex comicis Graecis petitae: Menandri *Πλοκίον* fr. IV.: *Μήτ᾽ ἂν ἀτυχήσας εἰς τὰ κοινὰ τοῦ βίου Ἐπαμφίασαι δύναιτο τοῦτο χρήμασιν Ἀλλ᾽ ἐν ἀκαλύπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ*, ibid. fr. VI.: *εἶχεν δὲ παραπέτασμα τὴν ἐρημίαν* sibi mantellum faciens solitudinem. Men. Fab. inc. CLXXV: *Ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν· τὰ δὲ χρήματα Ταῦτ᾽ ἐστὶν ὄψις, παραπέτασμα τοῦ βίου.*

ducta est a viatoribus, qui per saxa ituri calceis se diligentius muniunt: cum in locis planis, nudis saepe pedibus incedant. Epid. V, 1, 10: „Nam per urbem duo defloccati[1]) senes Quaeritant me.“ His de vestimento petitis metaphoris addiderim unam ac solam, quam comici nostri sumpserunt ab unguendi more: Ter. Phorm. v. 818: „Satin'est, si te delibutum[2]) gaudio reddo“ et Plaut. Poen. I, 2, 55: „miseras, scoeno delibutas“; ita meretrices poëta vocat lutulentas et immundas. — Cum limen transgressi sumus, statim invenimus duas metaphoras, quarum alteram Plautus duxit a via, in qua facile procedere licet, alteram ab ea, in qua persaepe offenditur. Pseud. v. 760: „cor mihi nunc perviumst“;[3]) Capt. v. 185: „Nam meus scruposam victus commeat viam“,[4]) quibus verbis senex parasito dicit victum suum asperum esse. — Comicos quam saepissime per plateas ac fora ambulasse, quo emtores et venditores et lenones et danistas et in jus vocatos et subbasilicanos et si quorum aliorum mores poëmatis suis exprimebant, observarent atque cognoscerent, et per se patet et ex fabulis ipsis, quas comicos, qui inter homines circumforaneos non essent versati, scribere non potuisse duco, satis superque elucet. Sed multo majus ac gravius quiddam mihi videtur perspicere ac percipere, quoad populus universus, apud quem fabulas comici dabant, vitam publicam cognoverit; id quod ex imaginibus facillime intellegi posse, in exordio hujus disputationis demonstravi. — Complures duxerunt metaphoras Plautus Terentiusque a mercatura: Trin. v. 1025: „Nisi etiam laborem ad damnum adponam epithecam[5]) insuper.“ Cas. III, 2, 8: „Non ecastor vilis emptu'st modio, qui venit, salis“:[6]) Phorm. v. 45:

---

[1]) „Defloccati senes i. e. calvi; sumpta metaphora a vestibus, quae fratillos suos, id est, villos amiserunt: quae et decotes sive decutes, id est, detritae dicebantur.“ Scaliger.

[2]) Delibutus i. e. unctus transfertur ad animum: Apul. Met. 3: „Delibutus laetitia“; Auct. Decl. in Cic. 2: Uxor sacrilega et perjuriis delibuta.“

[3]) Tac. A. 13, 4: „Nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium. — Claud. B. G. 130: „nulli pervia culpae Pectora Fabricii.“

[4]) Ita hunc versum scribi velim, Lambini, cui editorum recentiorum Weisius applaudebat, „non“ pro „nam“ improbans. Mira enim ratione hunc elicit sensum ex lectione sua Lambinus: „meus victus non constat ex difficilibus et caris obsoniis.“ Sed Lambinum mira excogitando vel superat Weisius, qui „non meus scruposam victus commeat viam“ interpretatur de lepore et aliis feris, quae scruposam viam commeant per saltus montesque. — Ceterum, quod ad metaphorae hujus explicationem attinet, „commeat“ an cum Bothio „commetat“ legas, nil interest.

[5]) Hanc metaphoram Plautum ex comoediis Graecis hausisse, jam vox „epitheca“ indicat, cui lingua Latina „auctarium“ respondet. cf. Aristoph. Vesp. v. 1391: „κἄξέβαλεν ἐντευθενὶ ἄρτους δέκ' ὀβολῶν κἀπιθήκην τέτταρας.

[6]) Jam Douza recte loco scripturae vulgaris „modius“ parva mutatione „modio“ scripsit: nam Weisii ratio traditum „modius“ explicandi ita omni caret probabilitate, ut afferre meo jure, ni omnia fallunt, supersedeam. Recte Salmasius: „Comicus, inquit, alludit ad mancipia ἁλώνητα, id est, sale empta,

„scisti uti foro“[1]) h. e. scisti servire tempori. Utrique comicorum usitata erat translatio ab iis, qui pecuniam grandi foenore mutuam accipiunt. Men. v. 626: „Ne illam ecastor foenerato abstulisti“ i. e. palla mihi ablata tibi magno constabit. Asin. v. 896: „Ne ille ecastor foenerato funditat.“ Phorm. v. 455: „Foeneratum istuc beneficium pulchre tibi dices.“ Ibid. v. 742: „vorsura solvis“[2]) h. e. debitas tandem dabis poenas etiam cum foenore: simili conditione, atque ii solent, qui ut syngrapham dissolvant et una cautione se liberent, pecuniam mutuam majore etiam foenore iterum accipiunt; in dies enim deteriorem conditionem suam faciunt. Trin. v. 203: „Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho.“[3]) Denique huc referenda est metaphora, quam p. 9. Ann. 6 jam tetigi: Trin. v. 314: „damni conciliabulum.“ Plauti et Terentii temporibus opifices tantum non omnes fuisse servos, qui heredi ejusque familiae artes suas domi exercerent, et parvum fuisse liberorum numerum, qui aliquam artem ad mercedem atque quaestum abducerent, eamque ob causam imagines, quas poëtae nostri ab illorum artificiis peterent, cum servorum conditionem tractarem, jam supra mihi addendas fuisse intellego, si metaphoras ab artibus operosis sumtas disjungere et separare voluissem. Amph. v. 367: „Advenisti, audaciae columen, consutis dolis;“[4]) Pseud. v. 540: „aut de conpecto faciunt consutis dolis.“ Cas, I, 1, 7: „Possisne, necne, clam me, sutelis[5]) tuis Praeripere.“ Bacch. v. 205: „Extexam ego illum pulchre“ i. e. spoliabo illum auro. „Extexere“ enim est, telam sua textura aut lana nudare. Amph. v. 294: „Illic homo hoc denuo volt pallium detexere“ i. e. me pallio cogitat spoliare. Cist. II, 2, 6: „In quaestione vix exsculpsi ut diceret“; Eun. v. 656: „possumne hodie ex te exsculpere Verum“? Amph. v. 317:

---

quae pro vilibus traducuntur. Nam *ἀλώνητος δοῦλος* est *εὔωνος, ὀλίγου ἄξιος,* ut Graeci interpretantur. Dicit ergo, si modio salis emptus esset hic Alcesimus, nimis magno pretio emptum fore. Vilis igitur et minimi pretii hominem esse, vult significare.“ Quin vero haec quoque metaphora ad exemplum Graecum conformata sit, haud dubitari potest.

[1]) „Ductum prov. a negotiatoribus, qui ante locum commercii non praescribunt, quanti vendant, quae advehunt, sed secundum annonam fori, quam deprehenderint, consilium de vendendis aut non vendendis mercibus sumunt.“ Donat.

[2]) Ad hunc Terentii locum habet Donatus: „versuram facere dicitur, qui aes alienum ex aere alieno solvit.“

[3]) Recurrit haec dictio infra v. 412, ubi est: Quid? quod dedisti scortis? Resp. Ibidem una traho. Apparet ergo, solemnem fuisse dictionem: ibidem trahere aliquid, in rationibus computationibusque faciendis, a qua re h. l. transfertur ad notionem accensendi in universum. Sensus enim hic est: me quasi illis accenseo, me adnumerari illis patior.“ Weisius ad h. l.

[4]) Sic Graeci dicunt *συῤῥάπτειν δόλους.* — cf. Alexis (com. med.) *Ἰσοστάσιον* fr. I. vs 2—3: *ῥάπτουσι δὲ Πᾶσιν ἐπιβουλάς.*

[5]) Latino verbo sutelae respondet Graecum *δολοῤῥαφία*: Epigr. I, 7 (Pauli Sil. in Anth. Pal. 5, 286) *Ἡφαίστου πᾶσα δολοῤῥαφίη.*

„Illic homo me interpolabit[1]), meumque os finget denuo.“ Jam vero addantur metaphorae, in quibus nonnulla opificum instrumenta reperias: Pers. v. 237: „Numquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis pejor, quam ego siem.“ Capt. v. 641: „Tum igitur ego deruncinatus[2]), deartuatus sum miser“; Mil. glor. v. 1142: „Ut lepide deruncinavit militem“; utroque in versu „deruncinare“ est „mutilare“ i. e. translate „decipere.“ Mil. glor. v. 935: „ego illum probe jam oneratum runcinabo.“[3]) Asin. v. 360: „Jam hoc opus est exasciato“ h. e. „incepto.“ Mil. glor. v. 884: „Tibi dixi, miles quemadmodum potesset deasciari“ i, e. decipi. Ex rebus pistrinalibus commemoratio fit metaphoris Plautinis cribri pollinarii: Poen. III, 1, 10: „Nam iste quidem gradus subcretust cribro pollinario“ i. e. gradus iste est brevissimus et minutissimus minimumque procedens. Most. v. 55: „O Carnificium cribrum“ vocat Tranionem conservum Grumio, quia existimat fore ut ejus corium stimulis ita perforetur, ut cribrum referat; carnificium autem ait cribrum, quia illud effecturi sint carnifices. A tonstrino sumpta est allegoria: Capt. v. 266—69, ubi de Philocrate senem decepturo dicit Tyndarus: „Nunc senex est in tonstrina! Nunc jam cultrum attinet! Ne id quidem involucri inicere voluit, vestem ut ne inquinet. Set utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem, Nescio: verum si frugist, usque admutilabit probe.“ Mil. glor. v. 768: „Qui admutiletur miles usque caesariatus.“ Ab artibus ingenuis unam tantum imaginem petitam esse, vix miraberis, cum illas Plauti Terentiique temporibus scias omnino fere populo Romano fuisse incognitas. Epid. V, 1, 19—20: „Ex tuis verbis meum futurum corium pulcrum praedicas: Quem Apelles atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis.“[4]) Haud magis exculta fuisse videtur ars medica; nam metaphoras inde ductas nescio an apud comicos nostros invenias, nisi forte huc referendum censes: Bacch. v. 247: „Euax, aspersisti aquam“ i. e. recreasti me: ut fit iis, qui animo defecti aqua adspersa recreantur. Truc. II, 4, 15: „Ah, aspersisti aquam.“ Trin. v. 1092: „res quom animam agebat, tum esse offusam oportuit.“ Cist. III, 3, 37: „obsipat Aquulam.“ Ab arte scribendi adscivit Plautus: Pseud. v. 545: „Stilis me totum usque ulmeis conscribito“ i. e. virgis caedito. — Romanum quemque res atque instituta publica

---

[1]) „Interpolare est immittere et interponere, et novam formam e vetere fingere: tractum ab arte fullonia.“ Nonius.

[2]) Deruncinatus: „A runcina, quae serrae genus est, ut censent critici: ῥυκάνη Graecis: verbo non inscita translatione, sed vere comica usurpato.“ Turnebus.

[3]) Runcinabo ex Lorenzii conjectura.

[4]) „Si picta sunt pulcra, meum tergum pulchrum futurum est: namque pigmentis ulmeis, id est, virgis ex ulmo, a senibus quasi pictoribus pulcre pingetur. Per Apellem et Zeuxim, Periphanem et Apoecidem signficat.“ Lambin.

habiturum esse accuratius cognita confisi poëtae nostri non ita paucas inde duxerunt metaphoras. Trin. v. 494—95: „Aequo mendicus atque ille opulentissimus Censetur censu ad Acheruntem mortuos", quae vox post mortem eodem haberi loco divitem, quo mendicum, significat. A munere censorum in eos animadvertentium, quorum mores non integros esse cognovissent, sumpta est metaphora, quae extat Aul. v. 593: „Qui ea curabit, abstinebit censione bubula" i, e. loris bubulis non punietur. Trin. v. 317: „Sarta tecta tua praecepta usque habui mea modestia."[1]) „Sartum tectum aliquid habere" significat conservare, servatum cupere et propterea custodire. Trin. v. 1002: „epistulae illae mihi concenturiant metum"[2]) i. e. colligunt sive augent metum. Pseud. v. 572: „Dum concenturio in corde syncophantias." Ibid. v. 1232: „Pseudulus mihi centuriata capitis habuit comitia."[3]) Truc. IV, 3, 45: meo illic nunc fiunt capiti comitia." Most. v. 688 (v. 673 L.): „Dum mihi senatum consili in cor convoco."[4]) Epid. I, 2, 56: „Jam senatum convocabo in corde consiliarium." — Capt. v. 468: „Ita venter gutturque resident esurialis ferias" i. e. cessant ab edendo et bibendo, quasique servant ferias Esuritioni dicatas. Epid. III, 4. 33: „Tuas possidebit mulier faxo ferias"[5]) i. e. tua erit mulier. — Epid. III, 2, 6—7: „sed ego hinc migrare cesso, ut importem in coloniam hunc auspicio commeatum",[6]) ubi colonia vocatur filius, cui refert Epidicus pecuniam patri ablatam. Pseud. v. 1100: „facere, ut

---

[1]) Hanc duxit metaphoram Plautus a munere censorum, quibus ruinosa opera publica, quae quidem reficienda locata erant, a conductoribus sarta et tecta tradi debebant. cf. Cic. Fam. 13, 50: „Hoc mihi da atque largire, ut M' Curium sartum et tectum, ut aiunt, ab omnique incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves."

[2]) Lambinus hoc ait ductum esse a centuriis, quae ad suffragia convenirent. Contra Weisius metaphoram putans tractam esse a re militari interpretatur: epistulae colligunt metum, sicuti centurio congregare solet milites. — Sed utra explicatio justa sit, haud facile decreveris. Recte vero nos pro concenturiant i. e. Centurienweise zusammenhäufen esse dicturos Schockweise Brixius annotat.

[3]) „Significat Pseudoli consilia omnibus artibus fuisse instructissima et callidissima. Alludit ad comitia centuriata, quae erant omnium maxima. Curiata enim et tributa erant minora." Lambin.

[4]) Huic Mamertini locum: „Versare coepit in sacri pectoris comitio consulatum" recte confert Scip. Gentilis.

[5]) Pro possidebit libris tradito equidem ex Salmasii conjectura residebit scribere haud dubito. Quo enim verbo mutato oratio jam ita pura, ut nihil sit liquidius. Tuas ferias dicit Plautus privatas, quae a solis domesticis celebrabantur, ut erant dies natales, denicales aliaeque. Quae igitur alicujus residet privatas ferias, ejus est propria et domestica. — Tum vero residere, non possidere ferias dicebant veteres pro feriari; cf. Plaut. Capt. v. 468 et Cic. de leg. 1. 2.

[6]) „Allegoria ducta a more veterum Rom. qui solebant commeatum ad exercitum, in colonia aliqua positum praesidii causa, impositum auspicato portare; idque auspicato faciebant, ne interciperetur." Lamb.

det nomen ad molas coloniam" i. e. ut in pistrinum mittatur; alludit enim ad morem Romanum, quo, qui deducendi erant in aliquam coloniam, in eam nomen dabant. Asin. v. 298: „o catenarum colone" i. e. qui assidue colis catenas, ut agrum colonus. — Metaphoras igitur de institutis publicis petitas tractans haud injuria adjungere eas mihi videor, quas duxit Plautus a juris dictione. Most. v. 1051 (1037 L.): „Ubi egomet video rem vorti in meo foro" h. e. rem meo ipsius arbitrio esse gerendam. „Judicis enim forum est, quia ipse solus ibi regnat, neque alieno, sed ejus ipsius arbitrio res geritur." Rost, Opusc. Plaut. I, p. 137 sq. Curc. v. 162: „Ubi tu's, qui me convadatu's Veneriis vadimoniis"? Bacch. v. 147: „Ita me vadatum amore vinctumque adtines." — Nonnullas petivit Plautus a palaestra metaphoras, quae etsi Graecis, ni fallor, debentur tantum non omnes, tamen gymnasia vel ejusmodi instituta Plauti temporibus jam fuisse Romae indicant; qua sententia rejecta metaphoras illas auditoribus Romanis fuisse intellegendas probari non potest. Asin. v. 297: „Gymnasium flagri" convicium est servi crebro vapulantis, in quo flagra quasi se exerceant. Aul. v. 405: „Ita me iste habuit senex gymnasium."[1]) Trin. v. 226: „Magister mihi exercitor animus nunc est", qui me quasi progymnastes aliquis (Graecis *παιδοτρίβης* dicitur) exercet. Ibid. v. 1016: „Gurguliost exercitor, is hunc hominem cursuram docet." — Pluribus locis Plautus, „exsulandi" verbo usus est metaphorice: Pers. v. 555: „Perfidia et peculatus ex urbe et avaritia si exulant"; Merc. v. 43: „Res exulatum at illam clam abibat patris"; ibid. v. 593: „Si opprimit pater, quod dixit, exsolatum abiit salus." — Romani, qua erant virtute bellica, prae populis ceteris ad res militares animos saepe advertebant; quapropter mirum non est, comicos nostros ab his rebus, quae essent populo universo longe notissimae, maximam metaphorarum copiam sumpsisse, quarum perpaucas, paene dixi nullas, Graecis deberi, ex eo satis elucet, quod illi suorum temporibus comicorum ita erant effeminati, ut res militares jam prorsus negligerent. Pers. v. 22: „Plusculum annum Fui praeferratus aput molas tribunus vapularis", qui jocus festivus Lipsio videtur cum quadam significatione tribuni militaris apud Nolam dictus esse. Trin. v. 456: „Ferentarium[2]) esse amicum inventum intellego"; „ferentarius amicus" dicitur qui celer et expeditus est ad opem ferendam. Phorm. v. 196: „ego in subsidiis hic ero Succenturiatus[3])

[1]) Idem significante metaphora usus est Men. a culina tracta: *Ἀνατιθεμένη ἢ Μεσσηνία* fr. III: *Ἡγεῖταί μ' ὅλως ἐπικόπανόν τι* me quidem plane mensam coquinariam quandam existimat; adeo me verberibus lacerat.

[2]) Veg. I, 20: „Erant inter pedites, qui dicebantur funditores, et ferentarii, qui praecipue in cornibus locabantur, et a quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi et velocissimi et exercitatissimi legebantur."

[3]) Ad h. l. Terentii Donatus: Tota metaphora de re militari est. Succenturiati dicuntur, qui explendae centuriae gratia subiiciunt se ad supplementum ordinum."

si quid deficias." Pseud. v. 181: „manipulatim munerigeruli mihi jam ante aedis facite hic adsint", ubi „manipulatim" respondet nostro Schaarenweise. Duobus locis ex parasitorum sermone Plautus prandium appellat „proelium": Pers. v. 112: „Sed quid cessamus proelium committere?"[1]) Men. v. 185: „ego isti ac mihi hodie adparari jussim apud te proelium." Passim vox „pugna" habet fraudis significationem: Capt. v. 585: „profecto jam aliquid pugnae dedit"; Bacch. v. 239: „Porro etiam ausculta pugnam, quam voluit dare"; Eun. v. 843: „dabit hic pugnam aliquam denuo." Item „pugnare" pro „fraudare" extat: Epid. III, 4, 57: „pugnasti! homo es, Qui me emunxisti mucidum, minimi preti." — Pers. v. 24: „Saucius factus sum in Veneris proelio" i. e. amore captus sum. Bacch. v. 601: „Illius sum integumentum corporis"[2]) h. e. latus ejus tego tamquam satelles et custos. Trin. v. 313: „Istaec ego mi semper habui aetati integumentum meae." Poen. I, 1, 73—74: „Quoi jam infortunii intenta ballista est probe, Quam ego haud multo post mittam e ballistario" i. e. in quem jam omnia mala irruunt. Pseud. v. 585: „Ballionem exballistabo lepide." Bacch. v. 709: „De ducentis nummis primum intendam ballistam in senem." Epid. V, 2, 25: „Tragulam in te iniicere adornat" i. e. molitur in te insidias, dolos machinatur. Pseud. v. 407: „Ac volui inicere tragulam in nostrum senem." Cas. II, 4, 18: „Ego pol istam jam aliquovorsum tragulam decidero" i. e. istas uxoris machinas aliqua ratione dissolvam ac diiiciam. Most. v. 570 (555 L.): „Continuo adveniens pilum injecisti[3]) mihi" h. e. mihi impedimento allato stomachum movisti. Mil. glor. v. 266: „Si invenio qui vidit, ad eum vineam pluteosque agam": allegoria a re militari, qua significatur, se machinas omnes et artes adhibiturum, quibus Sceledro et Militi persuadeat, sorores germanas inter se simillimas esse. Pers. v. 28: „Vide modo, ulmeae catapultae tuum ne transfigant latus", ubi virgae dicuntur catapultae. Haut. tim. v. 617: „Ita hac re in angustum oppido nunc meae coguntur copiae" i. e. ita in summas adductus sum angustias. Pseud. v. 1033: „Cor conligatis vasis[4]) expectat meum, Si non educat mulierem secum semul, Ut exulatum ex pectore aufugiat meo"; „conligatis vasis" scil. ad iter pa-

[1]) Recte Brixius ad Men. v. 185 p r o e l i u m c o m m i t t e r e cum nostro einhauen confert.

[2]) „Σωματοφύλαξ seu δορυφόρος, custos et stipator corporis, satelles. Graecorum imitatus est sermonem, qui sic vocabant a m i c u m i n t i m u m i n d i v i s u m q u e." Lambin. Ceterum cf. Cic. Or. 2, 86 et ibid. 1, 35; id. Pis. 6; id. Coel. 20, ubi semper i n t e g u m e n t u m translate dictum est.

[3]) „P i l u m i n i i c e r e, idem quod Cic. pro Mur. dixit: „Quam te securim injecisse putas petitioni meae" i. e. impedimentum. Idem pro Planco: „Infligere Reip. securim" quod est magno malo eam afficere." Lipsius.

[4]) „Sumptum a re militari, ubi vasa colligant aut ornantes fugam aut castra mutantes." Douza. Etiam allegorice Sen. ep. 19: „Subduc te istis occupationibus: satis multum temporis sparsimus: incipiamus vasa colligere."

ratis, ut, nisi mulierem educat, exulet cor. Cas. III, 6, 1: „Vide fur, ut senteis sub signis ducas.“[1]) Mil. glor. v. 594: „Loquere: auris meas profecto dedo in ditionem tuam.“ Pers. v. 854: „fateor, manus vobis do“[2]) i. e. me vobis inferiorem fateor. Mil. glor. v. 184: „Propter amorem suum omnes crucibus contubernales dari.“ Men. v. 990: „Meumque erum ex hoc saltu damni salvom ut educam foras“ i. e. ex domo meretricia. Translatio enim est ab iis, qui in loco saltuoso et insidiis opportuno ab hostibus circumventi sustinent, donec auxilia adsint. Men. v. 107: „Sed quoniam cari, quom instruontur, deserunt“; verba „instruere“, „deserere“ a re militari sunt translata. Parasiti enim est, cibos cum copiis comparare, ut facit ad Ergasilum Hegio Capt. v. 152—55: „Huic illut dolet, Quia nunc remissus est edundi exercitus. Nullumne interea nanctu's, qui posset tibi Remissum quem dixti imperare exercitum?“[3]) „Remissus exercitus edundi“ est parasito, cum non coitur ad convivium; „imperatus“ cum vino et victu inter sodales vita colitur. Truc. IV, 4, 27: „saltem amicus mihi esto manubiarius“ h. e. cujus ope et auxilio manubias interdum possim facere, h. e. fraudare alios et depraedari: manubiae enim sunt pecunia redacta ex venditione praedae devictis hostibus captae. Mil. glor. v. 599: „unde inimicus ne quis nostri spolia capiat consili.“ Merc. v. 123: „Perii: seditionem[4]) facit lien, occupat praecordia“ h. e. intumescit instar populi tumultum cientis. — Perpaucas quidem duxerunt comici nostri metaphoras a ludis publicis, sed eorum genera, quae Romae erant tria, tangunt omnia. A ludis circensibus petita est metaphora jam tritior apud posteros: Stich. v. 81: „Decurso aetatis spatio“;[5]) Adelph. v. 834: „Prope decurso spatio omitto“, Epid.

---

[1]) „Metaphora militaris: Quasi dicat: vide tu, ut ministros tuos, qui sunt quasi sentes, quia quicquid tangunt, secum auferunt aut scindunt, sub signis ducas: ne huc atque illuc distracti vagentur. Milites enim sub signis non poterant evagari, furari, latrocinari.“ Gruter.

[2]) Sunt qui hanc locutionem a gestu supplicantium putent esse natam; sed equidem cum Erasmo eam ab iis sumptam judico, qui manus afferunt vinciendas victoribus. Quam explicationem esse justam, ni fallor, patet ex verbo „accingi“ illi „dare manus“ opposito ap. Lucr. 2. — „Si tibi vera videtur Dede manus; aut si falsa est, accingere contra.“

[3]) Hanc allegoriam a re militari esse adscitam ex paulo insequenti militum commemoratione concludo. Gronovius remissum exercitum a Plauto dici affirmat maximum comitiatum, qui cessaret, imperatum exercitum comitia centuriata, quae agerentur. — Exercitus autem hic sunt pistores et coqui et turdetani et quos infra nominat, ad convivia apparanda necessarii.

[4]) Seditio transl. invenitur ap. St. Theb. I, 35: „flammasque rebelles Seditione rogi“, ibid. 9, 141: „Siculi velut anxia puppis Seditione maris“ etc. Manil. 2, 90: „Seditio pelagi“ et ib. 196: „Et quasi seditio coelum tenet.“

[5]) cf. Ephicrat. *Ἀντιλαΐς* II, v. 18: *ἐπεὶ δὲ δόλιχον τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχει,* Plat. Prot. p. 329 B.: *οἱ ῥήτορες σμικρὰ ἐρωτηθέντες δόλιχον κατατείνουσι τοῦ λόγου.* Alexis *Τραυματίας* I.: *Τὸν γὰρ ὕστατον Τρέχων δίαυλον τοῦ βίου ζῆν βούλοιμι.*

v. 18: „Quid herilis noster filius? valet? Th. Pugilice atque athletice“[1] i. e. firmus est et robustus; pugiles enim et athletae validis lacertis et firma valetudine sint necesse est. Bacch. v. 248: „Benene usque valuit? Ch. Pancratice atque athletice.“ Pers. v. 796: „quomodo de Persa manus mi aditast“;[2]) Poen. II, 11: „Eo pacto avarae Veneri pulchre adii manum“; Aul. v. 376: „Ita illis impuris omnibus adii manum.“ Ad ludos scenicos una ac sola pertinet haec metaphora: Aul. v. 618—19: „Continuo meum cor coepit artem facere ludicram[3]) Atque in pectus enicare“ h. e. ludionum more moveri et quasi gesticulari. Jam vero plures inveniuntur imagines a ludis gladiatoriis petitae. Mil. glor. v. 1389: „Paratae insidiae sunt; stat in statu[4]) senex, ut adoriatur moechum“; „in statu stare“ est gladiatoris ad pugnam parati. Andr. v. 56: „Certe captus est! Habet!“[5]) Most. v. 715 (700 L.): „Tempus nunc est senem hunc alloqui mihi. Hoc habet: repperi, qui senem ducerem.“ Ironice haec vox adhibetur Rud. v. 1143: „Hoc habet: est solutum.“ Ad ludos publicos referenda est denique metaphora quae extat Haut. tim. v. 657: „Huic equidem consilio palmam do.“ — Tum vero hic mihi adiicere liceat metaphoras ab iis lusibus ductas, quibus veteres delectari domi solebant; ut a latrunculorum lusu: Trin. v. 537: „Ut ad incitast redactus“[6]) is dicitur, qui fortunis atque opibus accisus in summa rerum difficultate, consiliique inopia ita versatur, ut inde expediri nequeat. Poen. IV, 2, 85—86: „Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit. Mi. Quin prius disperibit faxo, quam unam calcem civerit.“ Alteram duxit Plautus a cottabo metaphoram: Trin. v. 1011: „Cave sis tibi ne

---

[1]) „Unde et athletica habitudo, pro corpulenta et robusta dicitur, quam Aristot. ἀθλητικὴν ἕξιν appellat. Et athleticum victum pro valido et ad vires firmandas accomodato Celsus dixit.“ Lipsius.

[2]) Adire manum i. e. callide frustrari, sumptum esse a re athletica, in qua manum adire fortasse praecipuae fuerit artis et industriae callidioris ad adversarium occupandum jam Acidalius mihi probat.

[3]) cf. Anaxandr. fab. inc. fr. VIII: Ὦ πονηρὰ καρδία Ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος· Ὀρχεῖ γὰρ εὐθὺς, ἂν ἴδῃς δεδοικότα. Eur. Herc. fur. 871: Τάχα σ' ἐγὼ μᾶλλον χορεύσω καὶ καταυλήσω φόβῳ. Aesch. Coeph. 156: ὀρχεῖται δὲ καρδία φόβῳ. Callim. h. Del. 139 φόβῳ δ' ὠρχήσατο πᾶσα Θεσσαλίη.

[4]) Ita translate Cicero dicit: „adversarios de omni statu deiicere.“

[5]) Habet et hoc habet: Est vox propria in gladiatores vulneratos aut irretitos; vel insultantis adversarii, vel vulgi acclamantis. Prius enim interdum alii vident, quam ipsi sentiant se percussos. Virg. A. 12, 295: „Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur: Hoc habet“ etc. Adde Prud. Psych. 53. — Lorenz ad Most. v. 700 cum elocutione latina hoc habet confert Francogallicam: Il en tient.

[6]) Ita Lucil. ap. Non. 2, 422: „Illud ad incita cum redit.“ Mamert. Grat. act. ad Julian. 9: „Epirotae ad incitas depressi. Apul. Met. 3. f.: „Ad extremas incitas deducti.“ cf. Plat. Protag. p. 354 E: ἀλλ' ἔτι νῦν ἀναθέσθαι ἔξεστιν etc. Gorg. p. 461 D: καὶ ἐγὼ ἐθέλω τῶν ὡμολογημένων εἴ τί σοι δοκεῖ μὴ καλῶς ὡμολογῆσθαι, ἀναθέσθαι ὅτι ἂν σὺ βούλῃ.

bubuli in te cottabi crebri crepent."[1]) A ludo quodam petita metaphora eaque saepissime a Plauto usurpata invenitur: Trin. v. 557: „os quoi sublinat";[2]) Aul. v. 660: „ea sublevit os mihi paenissume"; Pseud. v. 719: „ei os sublevi modo"; add. Mil. glor. v. 110; 153; 467; Merc. v. 485; 604; Capt. v. 656; 783; Epid. arg. v. 6; ib. III, 4, 55. — Mirum est, poëtas nostros perpaucas petiisse imagines a caerimoniis, quibus notius an nihil aliud universo fuerit populo nescio. Truc. II, 7, 11: „mihi detraxi partem Herculaneam." Herculi enim decimam bonorum consecrare locupletes quidem solent, propterea quod is dixerit moriturus, eos opulentos fore, qui sibi decimam bonorum suorum partem consecrassent. Bacch. v. 635—36: „Si frugi est, Herculem fecit ex patre: Decumam partem ei dedit, sibi novem abstulit." Rud. v. 425: „Non ego sum pollucta pago" i. e. non sum scortum pagi publicum, vel tanquam daps profanata omnibus exposita. Postquam enim pars victimae Diis porrecta et oblata est, reliqua cum populo communicabatur, ut ab eo consumeretur. Curc. v. 193: „Quod quidem mihi polluctus[3]) virgis servos sermonem serat?" Rud. v. 753: „Ni offerumentas[4]) habebis pluris in tergo tuo, Quam ulla navis longa clavos, tum ego ero mendacissimus." — Cum Plauti Terentiique temporibus populus Romanus nondum classe maritimisque valeret rebus, satis mihi hoc fuisse videtur causae, prae comicis Graecis Romanos non ita multas duxisse metaphoras a fluminibus, a mari, a classe, denique ab omnibus ad navigationem pertinentibus rebus. Stich. v. 279: „Ripisque superat mi atque abundat pectus laetitia meum." Andr. v. 815: „Omnis res est jam in vado", ubi Donatus: „In vado, id est in securitate; nam ut in profundo periculum est, ita in vado securitas." Aul. v. 797: „haec propemodum jam esse in vado salutis res videtur." Phorm. v. 651: „Huic mandes, qui te ad sco-

---

[1]) „Graeci in conviviis solebant e poculo reliquias vini arte quadam in terram elidere, ut sonum redderent, vel (ut Cicero de eodem I. Tuscul) resonaret: idque κοτταβίζειν, facere cottabum, vocabant. Quo respiciens Plautus, cottabos bubulos facete vocat vel plagarum crepitus, qui eduntur, cum servi corio bubulo caeduntur: vel lora ipsa, quibus caeduntur." Lipsius. Hanc vero metaphoram a Graecis Plautum esse mutuatum facile intellegitur.

[2]) Translate sublinere os alicui — respondet nostro: Jemandem Honig um den Mund schmieren — est illudere et pro ridiculo habere: tractum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, ut Non. 1, 219 docet. Cujus ludi exempla habes ap. Virg. Ecl. 6, 22 et Petr. Satir. 22. Hinc de iis dicitur, qui blandiendo fallunt.

[3]) „Polluctum virgis dicit accumulatum verberibus: ut ara Herculis, cum referta esset iis, quae imponi de ritu religionis priscae solebant, tum polluctum illud dicebatur, quasi projectum, ut Varro interpretatur." Camer.

[4]) Offerumentas in tergo: „Eleganti joco ita appellat plagas et vibices, quae tergo offerrentur, atque ita imprimerentur, ut sacris parietibus deorum donaria affigi solent." Douza.

pulum e tranquillo auferat." Andr. v. 451: „Nunc hujus periclo fit, ego in portu navigo" i. e. extra omne periculum, in vado, in tuto sum. Bacch. v. 777: „Bene navis agitatur, pulchre haec confertur ratis" i. e. omnia prospere procedunt. Mil. glor. v. 747: „Si illis aegre est, mihi quod volupe est, meo remigio rem gero"; i. e. illis, velint nolint, parendum est, cum mei sint. Stich. v. 668: „Volo eluamus hodie peregrina omnia" i. e. quidquid peculii est, profundamus; eluere enim est naufragorum, ut etiam elavare. Rud. v. 579: „Eho, an te paenitet, In mari quom elavi, ne hic in terra iterum eluam." Asin. v. 135: „Nam in mari repperi, hic elavi bonis." Ibid. v. 157: „Remigio veloque quantum potis es festina et fuge", quibus verbis summa notatur celeritas. Asin. v. 520: „Ad locundum atque ad tacendum tute habeas portisculum" i. e. tu ipsa jus habeas et orationis imperandae et silentii indicendi. Portisculus enim est instrumentum hortatoris, malleus, quo ille pulsans motum et quietem dictabat remis. Merc. v. 876: „cape modo versoriam"; eadem verba extant: Trin. v. 1026: Cum „vorsoria" vel pes veli vel funiculus sit quo velum vertitur, „versoriam capere" translate dicitur pro „reverti, sententiam mutare, ab aliqua re desistere" Cist. I, 2, 2: „quae ubi saburratae sumus, Largiloquae extemplo sumus." „Saburra" est sabulum et quidquid in sentinam navis certa mensura congeritur, ne instabilis sit et ventorum vi evertatur. Itaque qui nimis se ingurgitarent cibo vinove, dicti sunt „saburrati"; quare et hoc loco saturae mulieres ita vocantur. — Most. v. 918 (905 L.): „servasti omnem ratem" allegorice pro „omnem rem familiarem." Epid. I, 1, 69: „puppis[1]) Pereunda est probe. Pers. v. 782: „Vehiclum argenti[2]) miser ejeci, amisi: neque quam ob rem ejeci, jam habeo." Cas. III, 2, 27: „Ibo intro, ut subducam navim rursus in pulvinarium" i. e. uxorem meam, quae instar navis instructa et parata est, ut prodeat, in conclave et thalamum reducam. Men. v. 439: „Ducit lembum jam dierectum navis praedatoria": allegorice dictum est de meretricula Menaechmum illectum secum deducente. Cas. IV, 1, 20: „corbitam cibi Comesse possunt" de permagnis praedicat Plautus estricibus. Poen. III, 1, 40: „Obsecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date" i. e. operam celerem, non tardam; nam sicut celox citato cursu fertur, ita corbita lento, cum navis oneraria sit. Cumque celox majoribus et tardioribus navibus subserviat, facete Plautus: Mil. glor. v. 986: „Haec celox illiust, quae hinc egreditur internuntia." Milphidippam ancillam vocat celocem. Pseud. v. 1306: „set

---

[1]) „Per puppim hic tergum significatur. Ita inferioris aevi scriptoribus saepe occiput et sinciput, prora et puppis capitis dicuntur." Boxhorn.

[2]) Vehiclum argenti i. e. magnum argentum; cui similis elocutio est in Cas. IV, 1, 20: „corbitam cibi Comesse possunt." cf. „argenti montes" (Mil. glor. v. 1065).

dic tamen Unde onustam celocem agere te praedicem", ubi celocem onerare pro „inebriare sese" dixit comicus; Truc. IV, 2, 6: „iste dum sic faciat Domum ad te exagogam" i. e. dum rem paternam domo ad te exportet; nam „exagoga" est evectio, exportatio mercium. — Nunc, si placet, transeamus ad rem venatoriam, primumque videamus, quas duxerint nostri poëtae ab aucupio imagines: Asin. v. 215: Cleaereta lena: „Non tu scis? inquit, hic noster quaestus aucupi simillumust." Mil. glor. v. 990: „Viden tu illam oculis venaturam facere atque aucupium auribus"; Stich. v. 102: „Numqui hic est alienus nostris dictis auceps auribus?" Bacch. v. 17: „Duae unum expetitis palumbem: „perii, arundo alas verberat." Arundo in aucupio adhibetur; nam calamis visco illitis insidiae avibus tenduntur; idque allegorice alludit Plautus. Item Bacch. v. 1158: „Tactus sum vehementer visco" dicit senex meretricis jam non restiturus illecebris. De sene dolis ludendo dicit Chrysalus servus Bacch. v. 772—73: „Nunc ab trasenna hic turdus lumbricum petit: Pendebit hodie pulchre: ita intendi tenus." Rud. 1235—39: „in aetate hominum plurumae Fiunt transennae, illi ubi decipiuntur dolis: Atque edepol in eas plerumque esca imponitur, Quam si quis avidus poscit escam avariter, Decipitur in transenna avaritia sua." Pers. v. 480: „Hunc hominem ego hodie in transennam doctis inducam dolis." — Semel usus est Plautus allegorice voce „piscatus." Bacch. v. 69: „Quia piscatus meo quidem animo hic tibi hodie evenit bonus"; quae verba facit meretrix de Pistoclero adolescente illecto atque intricato. Adelph. v. 194: „non scis inescare[1]) homines" i. e. allicere, decipere. Most. v. 1070 (1056 L.) heres servum capturus: „sensim mittam, inquit, lineam"[2]) i. e. Tranionem captabo, ut piscem missa linea. Est autem hoc loco „linea" illud linum, cujus extremo hamus annexus est. Poen. prol. v. 101: „Tangere hominem volt bolo"; Truc. arg. 3: „Utique ista ingenti militem tangat bolo" i. e. fallat atque circumveniat; ibid. I, 1, 10: „is primus bolu'st"; ibid. IV, 3, 70: „verum ego te mulctabo bolo." Curc. v. 431: „meus hic est, hamum vorat" i. e. tabellis, quas legit, capietur, ut hamo piscis — similiter nos: Er beißt an —; Truc. I, 1, 21: „Interim ille hamum vorat." Mil. Glor. v. 570: „Nunquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam", quo Sceledrus servus se dicit domum heri non iturum, ubi futurum sit, ut tanquam piscis capiatur; et unde periculum virgarum sibi imminere videat. A feris quae in plagas compelluntur, sumpsit Plautus metaphoram: Trin. v. 237: „Nunquam amor quemquam nisi cupidum postulat se hominem in plagas conicere." Mil. glor. v. 1388: „Ipsus illic sese jam impedivit in

---

[1]) cf. Liv. 41, 23: „Specie parvi beneficii inescamur"; Senec. ep. 74. med: „Nec quidquam ex his hominem inescantibus ad Deum pertinet"; Vellej. 2, 13: „Inescandae multitudinis causa."

[2]) cf. Martial. III, 58, 27; X, 30, 18.

plagas." Ibid. v. 608: „Nostro consilio venator adsit cum auritis plagis" h. e. auribus venans et aucupans dicta nostra. Poen. I, 1, 59: „Ita decipiemus fovea lenonem Lycum" i. e. dolis, insidiis: sumptum est a venatoribus, qui caeca fovea facta, bestias imprimisque lupos capere solent. Pers. v. 595: „Vide sis, ego ille doctus leno paene in foveam decidi." — Numero quidem haud paucae sunt metaphorae, quas comici nostri a re rustica adsciverunt, sed omnes fere ad serendi aut metendi modum spectant. Men. v. 756: „Consitus sum senectute"; Epid. IV, 1, 30: „in me aerumnam obsevisti gravem"; Men. v. 1012: „Hisce ego jam sementem in ore faciam pugnosque obseram." Rud. v. 763: „Jam tibi hercle in ore fiet messis mergis pugneis. Capt. v. 661: „Sator sartorque scelerum et messor maxume." Rud. v. 327: „sceleris semen" h. e. auctor sceleris, quam metaphoram etiam post Plautum saepissime inveneris et apud poëtas et apud scriptores prosa oratione. Aul. v. 45: „stimulorum seges" est convicium in servam dignam cujus in corpore tamquam in arvo, stimuli perpetuo sati et defixi stent. Trin. v. 30 — 37: „interim mores mali Quasi herba inrigua succrevere uberrume Neque quicquam hic vile nunc est nisi mores mali. Eorum licet jam metere messem maxumam." Epid. V, 2, 53: „Sed ut acerbum est, pro benefactis quum mali messem[1]) metas." Rud. v. 636 — 37: „Si tibi ulmeam futuram speres virgidemiam Et tibi eventuram hoc anno uberem messem mali." Cas. II, 1, 12 —13: „Acheruntis pabulum, flagitii Praesepe[2]), stabulum nequitiae."[3]) „Acheruntis pabulum" (nos: Höllenfutter) Plautus dixit de eo, qui Acherunti debetur quasi devorandus. Pers. v. 418: „Vir summe populi, stabulum servitutium." Truc. II, 7, 31: „ipsa quae sis stabulum flagitii." Mil. glor. v. 304: „Quam mox horsum ad stabulum juvenix recipiat se a pabulo"; festive haec usurpavit Plautus de muliere ab amatore tanquam a pabulo domum redeunte. — Trin. v. 834: „caeruleos per campos";[4]) quemadmodum „aequor" de planitie terrae, sic aliquando „campus" de aequore maris dicitur. Cas. prol. v. 57: „Scit, si id impetret, futurum quod amat, intra praesepis suas" i. e. in sua potestate. Haut. tim. v. 880: „mihi illic vere ad

---

[1]) Similiter Cic. Parad. 6, 2: „Qui illam Sullani temporis messem recordetur."

[2]) Praesepe ex Acidalii conjectura scripsi; codices habent persequentem, quod cum ferri non posset, ab aliis in persequens mutatum est. Sed cum pabulum et stabulum nominarit, Plauti facetiis ac lepori illud persequens ita non respondet, ut Acidalii conjecturam accipere haud dubitem. Et praesepe flagitii eadem ratione dicitur, qua stabulum flagitii in Trucul. Itaque omnia optime procedunt.

[3]) Stabulum Nicomedis ap. Suet. Caes. 49 per convicium dictus est C. Caesar, qui credebatur Nicomedi, Bithyniae regi, turpiter obsequutus. — Ceterum sunt loci Plautini nostro similes, ubi stabulum metaphorice positum nequeas accipere; sicuti Most. v. 350: „nusquam stabulumst confidentiae" i. e. sedes.

[4]) cf. Virg. A. 6, 724: „coelum et terram, camposque liquentes"; ib. 10, 214: „campos salis aere secabant."

rastros res redit" h. e. eo redigar, ut ad vitam tolerandam necesse mihi sit agrum meis manibus fodere. Pseud. v. 631: „tu inventu's vero meam qui furcilles[1]) fidem?" Hanc metaphoram equidem a vitium cultura petitam puto eamque a vineam pedandi modo, Pareo assentiens „furcillare fidem" exponenti infirmam judicare, ideoque quasi furcillis stabilire et sustentare. — Ab ovium tonsura duxit Plautus metaphoram: Bacch. v. 242: „ita detondebo[2]) auro usque ad vivam cutem"; ib. v. 1076: „Is me scelus auro usque attondit." — Persaepe comici nostri metaphoris animalium faciunt commemorationem. Trin. v. 101: „alii qui te volturium[3]) vocant" dicitur de homine insatiabilis rapacitatis. Truc. II, 3, 16: „vide ut jam quasi volturii triduo Prius praedivinant, quo die esuri sient." Eadem significatione, qua „volturius", metaphorice adhibetur vox „accipiter." Pers. v. 409: „Pecuniai accipiter." Merc. v. 361: „Muscast meus pater, nil potest clam illum haberi"; „muscae" dicti sunt olim homines curiosi, qui nihil non exquirunt et penetrant. Asin. v. 923: „At etiam cubat cuculus: surge amator, i domum." „Cuculi" Erasmo teste etiam dicebantur olim in re parum honesta deprehensi. Merc. v. 557: „Itane vero, vervex[4]), intro eas"; „vervex" translate de homine stupido, ignavo. Cas. III, 2, 5: „ne qua ignavissumis Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus." Ib. III, 2, 20: „Propter operam illius hirqui improbi edentuli"; „hirquus" est convicium hominis impuri. Stich.

---

[1]) Weisius furcillare ait Festo auctore formatum a furcis, quibus homines se suspendant; ita ut furcilles sit i. q. suspendas aut dubiam facias. Alii interpretantur, fidem in dubium revocare et quasi furcillis abigere et reiicere. Sed quomodo furcillare habeat significationem furca extrudendi, assequi non possum. — Veterum editorum multi, verbo furcillare in suspicionem vocato, coniiciendi iter ingressi sunt; sic alii legunt suggilles, Salmasio placuit forioles.

[2]) Detondeo trans. Ennius ap. Varr. R. R. 2, 1: „Et detondit (i. e vastavit) agros laetos, atque oppida cepit. — Graeci quoque verbo *κείρεσθαι* metaphorice usi sunt: Eubul. *Δόλιον* fr. III: *πρός φθεῖρα κείρασθαι* tonderi ad cutem usque. „Citat Bud. ex Basil. *Ἀποκειράμενος τοιαύτην δόξαν*, et exp. Privatus tali gloria. (Dionys. A. R. 9, 23: *Σφόδρα γὰρ ἐπένθησεν ἡ Ῥωμαίων πόλις ἀνδρῶν τοιούτων καὶ τοσούτων ἀρετὰς ἀποκειραμένη*) Ceterum existimo manasse hoc dicendi genus ex illo vet. Epigr. in Epaminondam, quod a Pausania (9, 15) refertur, cujus est primus versus hic: *Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν*, quo in versu habes *κείρασθαι δόξαν*, quod *ἀποκείρασθαι δόξαν* Basil. dixit. Cic. primum id carmen ita reddidit: „Consiliis nostris laus est attonsa Laconum. Plaut. certe Tondere auro aliquem dixit pro privare seu potius spoliare." Ex Stephani Thes. L. G. — Eodem sensu, quo Romani tondere, Graeci *κείρεσθαι*, nos dicimus Jem. berupfen metaphora a gallinis adscita.

[3]) Item Cic. Pison. 16, f.: „Appellatus est hic Vulturius illius provinciae (si diis placet) imperator." Ibid. „Scaurus vulturius Reipublicae." Add. Catull. 68, 124.

[4]) Juvenal. 10, 50: „Vervecum in patria, crassoque ab aere nasci"; Senec. Const. Sap. 17: „Chrysippum ait, quendam indignatum, quod illum aliquis vervecem marinum dixerat."

v. 605: „Nam inhiat[1]) ille homo hereditatem tuam quasi esuriens lupus“; Aul. v. 192: „inhiat aurum, ut devoret“; ibid. v. 265: „mihi esse thensaurum domi Id inhiat“; Mil. glor. v. 715: „Bona mea inhiant“; ibid. v. 1199: „inhiat, quod nusquamst, miser.“ Truc. II, 3, 18: „Illum inhiant omnes“; „inhiare“ transl. est positum pro „vehementer cupere, appetere“: tractum a lupis famelicis, qui aperto ore cibum appetere dicuntur. Truc. IV, 3, 6: „Quamquam vos colubrino ingenio ambae estis“, i. e. astuto, vafro. Aul. v. 49: „testudineum istum tibi ego grandibo gradum“ i. e. efficiam, ut majora in gradiendo spatia facias. Men. v. 888: „move formicinum gradum“ increpat senex medicum tarde incedentem more formicae. Men. v. 212: „Madida quae mihi apposita in mensam, milvinam[1]) suggerant“ i. e. famem atque appetentiam efficiant rabidam: ductum de milvi, rapacissimae et semper famelicae avis natura. Pseud. v. 852: „An tu invenire postulas quemquam coquom Nisi milvinis aut aquilinis ungulis?“ Rud. v. 748: „Tune hic felis[2]) virginalis liberos parentibus“; „feles virginales“ appellant lenones, tracto convicio a rapacitate ejus animalis. Pers. v. 751: „Sequere hac, sceleste, feles virginaria.“ Bacch. v. 18: „limaces viri“; sic meretrices vocare Plautus videtur, fortasse quia amatorum bona corrodunt. Rud. v. 1325: „Curculiunculos minutos fabulare“ h. e. res nullius usus narras. Truc. V, 1, 50: „campas dicis“ i. e. nugaris; fortasse ab erucis, quae vilissimae bestiolae sunt; nam campa a Graeco *κάμπη* est eruca. Ceterum lectio valde dubia est hoc loco Plautino. — Rud. v. 268: „Nempe equo ligneo per vias caerulas“ i. e. navi. Amph. v. 327: „Illic homo a me sibi malam rem arcessit jumento suo.“ Capt. v. 755: „Usque offrenatum[3]) suis me ductarent dolis.“ Most. v. 778: „Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex“; ut enim jumentis imponuntur clitellae, ita servus ludificans hero imponit dolos et fallacias. Itaque sensus loci est: utrumque horum probe oneravi mendaciis. Cas. I, 1, 37: „Ita te ad-

---

[1]) Cic. Cat. 3, 8: Romulus lactens uberibus lupinis inhians“; Senec. Herc. Fur. v. 166: „Hic nullo fine beatus componit opes, gazis inhians“; Val. Flacc. 2, 531: „Inhiare praedae“; Caecil. ap. Gell. 2, 23: „mortem alicujus“; Virg. G. 2, 463: „Nec varios inhiant pulcra testudine postes.“ Scriptorum, quos modo laudavi, plurimi ad exempla Graeca sua conformarunt carmina. Itaque jam ex allatis locis hanc Graecis deberi metaphoram coniicitur; confirmatur, quod re vera Graeci eadem verbi *ἐπιχαίνω* translatione usi sunt. Lucian. D. mort. 6, 3: *Ἀλλοτρίοις ἐπιχαίνετε;* id (Tim. C. 18) de avaris: *Ὥσπερ ὁ Τάνταλος ἄποτοι καὶ ἄγευστοι καὶ ξηροὶ τὸ στόμα, ἐπικεχηνότες μόνον τῷ χρυσίῳ.*

[2]) Cic. Q. Fr. 1, 2, 2: „Licinium plagiarium cum suo pullo milvino tributa exigere.“

[3]) cf. Auson. Ep. 69: „Quis Marcus? Feles nuper pullaria dictus, Corrupit totum qui puerile secus.“

[4]) „Offrenati dolis sunt, qui veluti capistro ori injecto dolis devincti quolibet ductantur. Sic. Apul. lib. 6: „Hunc (de Cerbero loquens) offrenatum unius offulae praeda, facile praeteribis.“ Guilielmus.“

gerunda curvum aqua faciam probe, Ut postilena possit ex te fieri.“ Rud. v. 889: „In nervom ille hodie nidamenta congeret“ h. e. muscum, paleas, tomentum, alia, ex quibus aves nidos construunt suos. Est autem ibi allegoria qua significatur, lenonem, (de quo est sermo) nidum parare, ex quo nascatur nervus, h. e. ea facere, propter quae brevi nervo plectendus sit, vel compedibus vinciendus. Ita Turneb. Adv. 26, 2. — Inter metaphoras a plantis petitas creberrima fit translatio verbi „eradicare.“ Pers. v. 819: „Ego pol vos eradicabo“ i. e. perdam; Merc. v. 775: „Quin me eradicas miserum?“ Bacch. v. 1092: „perditus sum atque etiam eradicatus sum“; Aul. v. 298: „suam rem periisse seque eradicarier“; Truc. III, 1, 15: „Eradicare est certum cumprimis patrem.“ Andr. v. 731: „Di te eradicent: ita me miseram territas“; Haut. tim. v. 537: „Di te eradicent.“ Epid. III, 3, 53: „pugnis memorandis meis Eradicabam[1]) hominum aures.“ Most. v. 1111: „Nam omnia jam malefacta vostra repperi radicitus.“[2]) Curc. v. 238: „radices cordis“ sunt pulmones. Mil. glor. v. 191: „Domi habet hortum et condimenta ad omnis molis maleficas“, quam metaphoram perlustrantes culinam jam tetigimus. Bacch. v. 283: „Adeon me fuisse fungum ut qui illi crederem“, ubi „fungum“ vocat hominem stupidum stolidumque. — Naturae contemplationi debuit Plautus vocis „lapis“ translatio: Merc. v. 632: „is lapidi mando maxumo.“ Haut. tim. v. 780: „I, quid stas, lapis?“ ib. v. 866: „Quot res dedere, ubi possem persentiscere, Ni essem lapis“; metaphorice „lapis“ dicitur de homine tardo, stulto, ignavo, ut et λίθος Graecis. Truc. IV, 3, 44: „Lapideus sum“ (nos: ich bin versteinert). Aul. v. 150: „quia mi misero cerebrum excutiunt tua verba, soror: lapides loqueris“[3]) i. e. res auditu duras et acerbas dicis. Pseud. v. 75: „Pumiceos oculos habeo“ is dicit, qui lacrimare nequeat. Poen. III, 6, 18: „Si quid peccatum'st, plumbeas iras gerunt“ i. e. graves et diuturnas. Poen. V, 2, 8: „Creta est profecto horum hominum oratio.“[4]) — Denique pluries adhibuit metaphorice Plautus vocem „mons“, sicuti Epid. I, 1, 78: „itaque in te irruunt montes mali“; Mil. glor. v. 1065: „Tum argenti montes, non massas habet“; Most. v. 352 (339 L.): „Ita mali maeroris montem maxu-

---

[1]) Ita Horat. in art. poët. de odioso recitatore: „tenet occiditque legendo.“

[2]) Radicitus transl. Cic. Dom. 13; Fin. 2, 9; Tusc. I, 46 extr., N. D. I, 43; Lucr. 3, 891.

[3]) Huic simillima usus est metaphora Aristoph. Nub. v. 907: Ῥόδα μ' εἴρηκας rosas mihi locutus es. Add. Diodor. Ἐπίκληρος fr. v. 37: ῥαφανῖδας ἢ σαπρὸν σίλουρον καταφαγὼν, Ἴα καὶ ῥόδ' ἔφασαν αὐτὸν ἠριστηκέναι.

[4]) Sunt qui creta oratio sumi velint pro sermone candido et fausto. Sed ex hujus scenae versu decimo: „Ut mihi absterserunt (sc. oratione) omnem sorditudinem“ Poenum dicere cum Grutero judico, oratione Agorastoclis et Milphionis ita omnes animo suo ablui sordes, ut creta emaculentur vestes. Jam vero creta sordidas vestes mundari solitas, scitur ex Plin. libr. 35, 15, 17.

mum ad portum modo Conspicatus sum"; Merc. v. 618: „Montis tu quidem mali in me ardentis jamdudum jacis." — Ab anni temporibus nisi duae metaphorae non petitae sunt earumque altera ab hieme, altera ab aestate. Trin. v. 398: „Suae senectuti is acriorem hiemem[1]) parat, Quom illam importunam tempestatem conciet." Men. v. 255: „Viaticati hercle admodum aestive[2]) sumus" i. e. tenuiter, admodum parce. — A temporibus diurnis sumptum est: Mil. glor. v. 995: „Num quisnam hic prope adest, qui rem alienam potius curet quam suam? Qui aucupet me quid agam? qui de vesperi vivat suo?" Otiosissimus ideoque curiosissimus quisque vocatur, „de suo vesperi vivens," h. e. de suo penu vivens, non indigens coena foris parta; vesper enim coenae olim fuit tempus. Porro quibus domi victus est, ii plerumque sunt curiosi de rebus alienis, cum ventri non metuant, si sua in re sunt negligentiores. Rud. v. 181: „Si tu de illarum cenaturus vesperi's." — Quum Graeci non ita paucas duxerint imagines ab externis gentibus, Plautus Graecos tantum semel tangit: Asin. v. 199: „Cetera quae volumus uti Graeca mercamur fide" h. e. praesenti pecunia mercamur, ut in palliata atque adeo Attica comoedia: quasi Graeci nunquam fallerent. Graeci Graecis favent, et bene de gente sua et existimant et praedicant. Hanc Turnebi interpretationem sane probo, metaphoram nostram ex Graeco ratus translatam esse in Latinum. Nam si quis considerarit angustam habuisse Romanos Graecis fidem, illud „Graeca mercari fide" Plautum ex suo penu non promsisse concedet. — Jam vero transeamus, quaeso, ad metaphoras a diis deabusque et a mythologia quam nos

---

[1]) Hiems translate positum est: Claud. B. Get. 151: „Hic celer effecit, bruma ne longior una Esset hiems rerum." Ovid. Her. 5, 34: „Illa dies fatum miserae mihi dixit; ab illa Pessima mutati coepit amoris hiems." Simili ratione a Graecis adhibetur *χειμών*; Menand. *Εὐνοῦχος* fr. II: *Μὴ θεομάχει, μη δὲ προσάγου τῷ πράγματι Χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ᾿ ἀναγκαίους φέρε;* id. *Πλοκίον* IV: *Ἀλλ᾿ ἐν ἀκαλίπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ Χειμαζόμενος ζῇ;* id. *γν. μον.* 540: *Χειμὼν κατ᾿ οἴκους ἀνδράσιν κακὴ γυνή.* Philem. *Ἔφηβος*: *Ἐμοὶ δὲ τοῦτ᾿ οὐκ ἔστιν οὐκ εἰς ἡμέραν χειμάζομαι* etc. Alex. *Παράσιτος* fr. I, v. 7: *χειμὼν ὁ μειρακίσκος ἐστὶ τοῖς φίλοις.*

[2]) De hujus metaphorae explicatione interpretes ita inter se dissentiunt, ut alii Lambinum, alii Turnebum sequantur. Hic igitur translationem ductam judicat a militibus, qui iter aestate facturi, parcum viaticum secum portant, tum quia cum dies longiores sint, maturius perveniunt, quo tendunt, tum etiam quia inter eundum facile provident sibi de frugibus terrae: cum contra hieme id facere non possint, conditis ubique frugibus, et nuda tellure. Alii cum Lambino ducunt a vestibus, quae aestate tenues et leves adhibentur. Sed haec explicatio justo longius mihi repetita videtur, quippe cum hac in metaphora nihil insit, quod ad vestes pertineat. Quod vero Turnebus eam putat esse tractam a militibus proficiscentibus, non assentior; nam certe sumpta est a quocunque iter faciente, qui vero aestate minori indiget pecunia, quoniam non ita cibos appetit ex caloribus, et ubicunque inveniuntur fruges, quibus famem expleat, et denique hospitio nocturno non opus est.

dicimus petitas. Amph. v. 341: „Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?“ i. e. qui ignem in laterna cornea clausum geris. Men. v. 330: „Dum ego haec appono Volcani ad violentiam[1])“ i. e. ad ignem. Aul. v. 357: „quid, impurate, quamquam Volcano studes“ coquum increpat ancilla. Curc. v. 192: „Tun meam Venerem[2]) vituperas?“ i. e. amicam. Per blanditiam enim amatores amicas suas Veneres vocant. Truc. II, 7, 54: „jam ego te hic agnum faciam, et medium distruncabo; si tu Ad legionem bellator clues, at ego in culina Ares“ jactat Geta coquus. Capt. v. 879: „tuum gnatum et Genium meum.“ Parasiti divites, sub quorum clientela essent, Genios suos nominabant. Curc. v. 301: „Ecquis est qui mihi commonstret Phaedromum genium meum?“ Stich. v. 223: „Herculeo[3]) stabunt prandio, cena tibi“ i. e. perlargo prandio. Bacch. v. 123: „Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus“ Pistoclerus juvenis dicit Lydo magistro. „Linus“ enim „Herculem“ in musica discipulum objurgans, ab ipso illisa in caput cithara occisus est. Bacch. v. 124: „Pol metuo magis, ne Phoenix tuis factis fuam“ Pistoclero respondet magister. „Phoenix“ Achillem discipulum a Paride ad Trojam interfectum Peleo nuntiavit. Bacch. v. 790: „Bellerophontem[4]) jam tuus me fecit filius“; proverbii modo dicitur, ex eo ducti, quod Bellerophon nescius literas ad eum attulit, a quo occidendus erat. Bacch. v. 207—8: „Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem Phryxi, itaque tondebo auro usque ad vivam cutem“, i. e quem ego tondebo et auro spoliabo, ut arietem Phryxi, cujus vellus aureum erat. Cist. I, 1, 50: „nunquam Hecale fies“ i e. nunquam fies aetate anus. „Hecale“ enim, a Callimacho justo volumine decantata, anus erat paupercula, quae Theseum adolescentem hospitio excepit. Andr. v. 166: „Davus sum, non Oedipus“, quo ille significat, Simonis verba nimis obscura sese intellegere non posse. Vidul. fr. XIV. (apud Studemund) Prisc. inst. gramm. VII, 7, 16 (vol. I, p. 300): „Ejusdem Bacchae fecerunt nostram navem Pentheum“ i. e. perdiderunt navem. „Pentheum“ enim, Thebarum regem, Bacchae diripuisse dicuntur. Nostro autem loco Bacchae aut undae aut procellae Neptuni (i. e. „ejusdem“) appellatae sunt. Mil. glor. v. 627: „itane tibi ego videor oppido Acheruntieus“ i. e. morti proximus. Merc. v. 290: „Acheruntieus, Vetulus senex, decrepitus.“ Cas. II, 1, 12: „Acherun-

---

[1]) cf. Alexis *Μιλήσια* fr. I. v. 16: *ἤδη πυκνοὶ δ' ἅπτουσι Ἡφαίστου κύνες.* Vulcani canes dicit scintillas etiam Eubulus Orth. I. 7: *ῥιπὶς δ' ἐγείρει φύλακας Ἡφαίστου κύνας.*

[2]) Item Virg. Ecl. 3, 68: „parta meae Veneri sunt munera.“

[3]) Herculis appetitum edendi inexplebilem Graeci non solum singulis dictis ludebant, sed etiam tractabant totis tragicomoediis, sicut Epicharmus ea fabula, quae Busiris vocatur.

[4]) Simile est illud: „literas Uriae ferre“, quod e sacris Literis ductum est, Reg. 2, 11.

tis pabulum" dicitur de homine perdito et abjecto, qui Acherunti quasi devorandus debeatur. Amph. v. 1029: „ulmorum Acheruns" de servo vapulante, cujus tergum ulmeas virgas vorat, ut Acheron animas. Poen. I, 3, 34—35: „Nam isti quidem hercle orationi Oedipo opus est conjectore, qui sphyngi interpres fuit" de oratione obscuriori quam quae intellegi possit. Sapientissimum quemque Graeci — nam ab his omnes fere metaphoras, quas de mythologia peterent omni ex parte Graeca, comicos nostros esse mutuatos jam per se intellegitur — sapientissimnm igitur quemque videntur alterum Thaletem vocasse. Nam Rud. v. 1003: „Salve, Thales!"[1]) Bacch. v. 89: „Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem", i. e. quem judicavi omnium sapientissimum. — Restat ut addam metaphoras, quae jam in proverbiorum consuetudinem venerunt quasque cum Plautus et Terentius magna ex parte nec suo ingenio nec Graecorum, sed populi Romani lepori ac sali deberent, pro generum diversitate disponere ac metaphoris vere Plautinis Terentianisve immiscere nolui. Trin. v. 1154: „tunica propior palliost", quo proverbio significatur, ex amicis nos aliis atque aliis non pariter esse devinctos, neque eandem omnium habendam rationem. Pallium, extrema vestis apud Graecos, ut toga apud Romanos, et tunicam tegebat. Hoc proverbium, ni omnia fallunt, a Graecis Plautum petiisse, jam ex commemoratione tunicae et pallii elucet. Cist. I, 37: „clam, si occasio usquam est, Aquam frigidam subdole subfundunt" i. e. meretricibus obtrectantes et maledicentes matronae virorum calores minuunt, veluti aquam frigidam subfundendo. Phorm. v. 152: „laterem lavem",[2]) proverbium de opera vana et inutili; nam quo magis abluitur later, eo magis aquam conspurcat. Ibid. v. 44: „Advorsus stimulum calces"[3]) (subaudi „jactare") proverbium dicitur de iis, qui contra eos reluctantur, quos vincere nequeunt: sibi enim ipsis magis nocent, ductumque est a bobus, qui cum a bubulco stimulis fodiuntur, si calcitrare velint, altius punguntur. Epid. IV, 2, 22: „plaustrum perculi" h. e. res meas perturbavi, everti. A lusu pilarum depromptum est proverbium: Truc. IV, 2, 8: „mea pila est", quod significat: res est in mea manu et potestate. Men. v. 247: „In scirpo nodum quaeris": proverbium de iis, qui in rebus claris atque apertis faciunt difficultatem; scirpus enim enodis est. Andr. v. 911: „nodum in scirpo quaeris." Most. v. 799: „Sibi quisque ruri metit", quo proverbio significatur, sibi quemque consulere. Epid. II, 2, 80: „Mihi istic nec seritur, nec metitur" h. e. ad me ista res nihil pertinet. Most. v. 380: „miserumst opus demum fodere puteum, ubi sitis fau-

---

[1]) „Hoc expressum videtur ex illo Aristoph. in Avibus, ubi geometrae multa in mathematicis disserenti, respondet quidam: ἄνθρωπος Θαλῆς: quod et Scholiastes ἐν σαρκασμῷ dictum notat". Douza.

[2]) Haec est translatio prov. Graeci: πλίνθους πλύνειν.

[3]) Eadem ratione Graeci dicunt: πρὸς κέντρον λακτίζειν.

ces tenet"; quod proverbium eos tangit, qui nimis sero cogitant, quae parata ante oportebant (nos: den Brunnen zuschütten, wenn das Kind hineingefallen ist). Aul. v. 193: „Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera", quod Erasmus translatum ait ab iis, qui canes ostentato pane pelliciunt, deinde accedentibus saxum illidunt. Cas. III, 5, 40: „sciens De via in semitam degredere" i. e. sciens et prudens te impedis; nam latior Lambino interprete est „via", angustior „semita." Pers. v. 604: „Hospes, volo hanc percontari. Sa. a terra ad caelum quidlubet." „A terra ad coelum" i. e. ab extremo initio usque ad supremum finem (nos: von A bis Z). Pseud. v. 369: „In pertussum ingerimus dicta dolium: operam ludimus", quod proverbium ductum est a fabula Danaidum. Pers. v. 41: „nam tu aquam a pumice hercle postulas Qui ipsus sitiat" h. e. ab eo aliquid petis, qui omnino caret; est enim pumex lapis aridissimus. Pseud. v. 984: „nunc homo in medio lutost" dicitur, qui aliqua est difficultate implicitus, unde expedire se non potest. Phorm. v. 742: „in eodem haesitas luto." Pers. v. 535: „tali ut in luto haeream?" Haut. tim. v. 290: „In aurem utramvis otiose ut dormias"[1]) proverbium est de summa alicujus securitate. Plautus dixit eodem sensu jculariter: Pseud. v. 121: „De istac re in oculum utrumvis conquiescito." Pers. v. 10—12: „Ego nec lubenter servio, nec satis sum ero ex sententia, Sed quasi lippo oculo me erus meus manum abstinere hau quit tamen, Quin mi imperet." „Uti tamquam lippo oculo" proverbium de re, qua carere non possumus, cum tamen damnosa nobis sit, dictum eleganter Plautus ad servos improbos traxit. cf. Bacch. v. 913: „Lippi illic oculi servos est simillumus." Rud. v. 902: „In digitis hodie percoquam quod ceperit"; proverbialis loquendi ratio, cujus usus, cum quis nihil effectum dedit. In digitis enim nihil percoqui potest; ergo nihil cepit, qui cepit, quod in digitis percoqui potest. Phorm. v. 284: „Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum."[2]) Trin. v. 484: „Cena hac annonast sine sacris hereditas." „Sine sacris hereditas" Festo auctore proverbium dici solet, cum aliquid obvenerit sine ulla incommoda appendice: quod olim sacra non solum publica curiosissime administrabant, sed etiam privata: relictusque heres sic pecuniae, etiam sacrorum erat, ut ea diligentissime administrare esset necessarium. Haec Festus (p. 290 a, 33). Ita simili sensu dicunt: carne senza osso: et

---

[1]) Eodem sensu Plin. ep. 4, 21: „Nihil est quod in dexteram aurem fiducia mei dormias." Neque vero hoc proverbium Romanis proprium, sed debitum Graecis est. Men. *Πλοκίον* I: *Ἐπ᾽ ἀμφότερα νῦν ἄτ᾽ ἐπίκληρος οὖσα δὴ μέλλει καθευδήσειν.*

[2]) Ad hunc locum Donatus: „*παροιμία,* inquit, apta parasito, quae de cibo est: hoc autem inter rusticos de alliato moretario dici solet. Et bene intristi, proprie enim intrita dicitur hujus modi cibus." Porro hoc proverbium significat: tu te in hoc periculum conjecisti, tu quoque te expedire debes (nos: Du hast Dir dies eingebrockt, Du mußt es auch ausessen).

rosa senza spine; nos: „Rose ohne Dornen.“ Huc refertur Capt. v. 775: „Ita sine sacris hereditatem sum aptus ecfertissimam.“ Denique similes esse videntur elocutiones proverbiales: Curc. v. 125: „mihi hau saepe evenunt tales hereditates“ et Stich. v. 384: „obtigit mi hereditas.“ Capt. v. 617: „Nunc ego inter sacrum saxumque sto“, proverbialis locutio pro „in summo periculo esse“, sumpta ex priscis foederis feriendi caerimoniis, in quibus fetialis porcum silice percussurus, saxum illud manu tenens verba foederis pronuntiabat, quibus dictis porcum feriebat (nos dicimus: zwischen Thür und Angel stehen). Amph. v. 707: „Inritabilis crabrones“, prov. de iis, qui potentiores provocant, a quibus sine malo discessuri non sunt. Most. v. 559 (544 L.): „Tam facile vinces, quam pirum volpes comest“; proverbium de re factu proclivi, quod nihil sit negotii vulpi dentatissimae pirum edere: ut explicat Erasmus. Stich. v. 577: „Atque eccum lupum in sermone“; Adelph. v. 511: „lupus in fabula.“ In Italia creditus luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens, ut Plin. tradit 8, 22, 34. Ex quo Servius ortum ait proverbium „lupus in fabula“: quo utimur, cum supervenit subito is, de quo loquimur, et nobis sua praesentia facultatem loquendi demit. Eun. v. 776: „Scelesta! ovem lupo commisi!“[1]) „Ovem lupo committere“ est rem aliquam ei committere, qui ipse maxime custodis egeat, ne perdat; (nos: den Bock zum Gärtner setzen). Phorm. v. 468: „auribus teneo lupum“[2]) in re ancipiti periculosaque dici solet: nam qui lupum tenet, nec dimittere audet, nec retinere potest sine periculo. Capt. v. 184: „I modo, venare leporem: nunc ictim tenes“; prov. de iis, qui conditionem parum commodam nacti, meliorem quaerere jubentur. Nam certe lepore ictis vilior est. Ceternm ante Fleckeisenum editores pro „ictim“ scripserunt „erim“; sed ad proverbii sensum nil interest, utrum „ictim“ an „erim“ legas. Asin. v. 99—100: „Jubeas una opera me piscari in aere Et venari autem reticulo in medio mari.“ „Piscare in aere“ et „venari in mari“ proverbii consuetudine dicuntur iis de rebus, quae effici non possint. Rud. v. 1014: „Si tu proreta isti navi's, ego gubernator ero“; usurpatur proverbium, quoties aliquo in negotio alter alteri cedere nevult. Ab arte fabri ferrarii adscita est locutio proverbialis: Poen. IV, 2, 92: „At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur“ i. e. nisi occasione uteris, dum adest. Translatio enim a ferro, quod, dum calet, tundendum est; ubi refrixit, frustra cuditur. Epid. III, 4, 18: „Quin tu alium quaeras, quoi centones far-

---

[1]) Cic. Phil. 3, 11: „O praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum.“ Adde Ovid. A. Am. 2, 363.

[2]) Ad h. Ter. l. Donatus fortasse ex Appollodoro Carystio adscripsit graec. prov. *τῶν ὠτῶν ἔχω τὸν λύκον οὔτ᾽ ἔχειν, οὔτ᾽ ἀφεῖναι δύναμαι* (cf. ap. Meinek. fr. V. ex Apoll. Car. fab. *Ἐπιδικαζόμενος* petitum).

cias",[1]) i. e. cui mendacia dicas. Eun. v. 330: „at enim istaec in me cudetur faba" h. e. malum in me recidet. Donatus proverbium vel inde duxit, quod quidam olim male coctam fabam supra caput coqui saxo comminuerit: vel quia cum faba cuditur, solum laborat, in quo cuditur. Alii, quorum explicatio mihi magis probatur, ducunt ex eo, quod antiqui fabam peccantibus in manum cudebant: unde usus inoleverit, fabam pro culpa aut poena dici. Phorm. v. 730: „Ita fugias, ne praeter casam", hoc est, inquit Donatus, ne praetereas casam tuam, quae sit tibi tutissimum receptaculum. Quaeritur senex, se dum avari infamiam fugeret, in stulti reprehensionem incidisse. Quidam enim — Erasmum audis adagg. 1, 5, 3 — calore fugiendi etiam ea praetercurrunt, ubi commode poterant quiescere.

Cum longe plurimas petere metaphoras ab homine atque ejus negotiis factisque scriptorum omnium proprium fuisse veterum jam permulti observarunt, tum comicos nostros orationem imaginibus ornaturos atque illustraturos hominum semper vitam ac mores respexisse, neglexisse res naturales, eum non fugiet, qui metaphoras Plautinas Terentianasque, quas collocatas supra disposuimus, cum industria quadam perspexerit. Quarum non ita multas duxisse poëtas nostros a plantis, a feris, a temporibus anni, diei, fere nullas a quattuor elementis, a procellis, a nivibus, a coelo sideribusque et si quae sunt aliae res naturales, vidimus; contra quam saepissime spectatorum animos metaphoris Plautus Terentiusque animadverterunt ad hominem quaeque ab homine exoriuntur: ad rem rusticam, ad artes et liberales et sordidas, ad opificia, ad mercaturam, ad rei publicae instituta deorumque cultum, ad familiam, denique ad totam antiquorum vitam et publicam et privatam. Quo nomine, ut jam diximus, antiquitatis scriptores et Graeci et Romani omnes cum inter se congruant, tamen quin ita dissentiant, ut alii alias earum rerum, unde maximam metaphorarum partem ab illis constat esse petitam, praeter ceteras animo percurrere consueverint atque excolere, dubitari non potest. Nam ut tempora atque hominum ingenia rationesque paulatim adeo immutantur, ut quae modo omnes affectabant, jam negligantur ac repudientur, quae omnibus fugienda videbantur, probentur ac petantur, quae in omnium cognitione atque usu erant, obliterentur ac tollantur, ita scriptor unusquisque quod non solum materiam, sed

---

[1]) Gronovius pro „farcias" scripsit „sarcias", quam conjecturam ductu literarum facillimam primo obtutu mihi magno opere arrisisse confiteor. Sed illud „centones sarcire" Gronovius interpretari supersedit; neque ego habeo, unde explicationem satis probabilem capiam. Sunt qui „alicui centones farcire" per „coacervare, congerere" interpretentur; quo quidem sensu dixit Martialis „farta Ceres." Sed nescio an ponere praestet ita conjunctum esse „alicui centones farcire" ut „alicui aliquid induere." — Vox „centones" pro „mendacia" procul dubio jam in vulgi ore recepta erat. — Ceterum Weisius cum „centones farcire" confert nostram elocutionem: Jemandem die Hucke voll lügen.

etiam genus dicendi pro temporum rationibus atque aequalium studiis conformet, quo populi plausum captet gratiamque, certe habet; nam non debent sententiae, quae ab aequalium natura ac moribus abhorreant, proferri, peti imagines ab iis rebus, ubi lectorum animi commorari non soleant. Quid igitur? Plautum et Terentium putas eisdem uti potuisse metaphoris, quibus comici Graeci, ad quorum exemplum componerent illi suas fabulas? Nam cum Menander, Philemo, Diphilus, Apollodorus Carystius aliique poëtae comoediae novae quae appellatur darent fabulas apud populum, qui domi turbulentis disturbatus tempestatibus foris, disciplina militari funditus eversa, semper Marte pugnabat iniquo ad postremumque, libertate amissa, sub Macedonum potestatem est redactus, cujus mores immoderatione ac luxuria erant pravissimi et corruptissimi, cui jam non aliud erat studium nisi mercaturae, qua sibi victum quaerebant, et artium quarundam inprimisque musicae, nonne oportuisse luce clarius est comici illi prorsus alias proferrent sententias, aliis imaginibus, aliis uterentur metaphoris atque utebantur Plautus, Caecilius, Terentius et si qui erant alii comici Romani, quorum cives bellum ex bello sertum bene gerebant et feliciter conficiebant, ad quos luxuriae nullus erat aditus, qui, ut paucis dicam, omni erant ratione Graecis quos diximus, impares et dissimiles. — Ut jam multi alii alia de causa aegerrime tulerunt, de fabulis Menandri, Philemonis, Diphili, Apollodori quosque alios comoediae et mediae et novae imitarentur Plautus et Terentius nihil nisi fragmenta, etsi plura ac ne minima quidem, esse relicta, ita et ipse id maxime doleo, quod ut nisi ad verisimilitudinem, comicos nostros et potissimum Plautum imagines, metaphoras, translationes jocosas, quibus ad jucunditatem materiae augendam utebantur, a Graecis non mutuatos esse, ex dissimilitudine rerum et temporum, quibus vivebant comici et Graeci et Romani, atque hominum, apud quos utrique fabulas dabant, exponere nequeo, ita fabulis Graecis integris hanc rem me ex metaphoris Graecorum cum Romanorum collatis ad veritatem probare posse pro certo duco. Quod cum ita non sit, jam fragmenta mihi in auxilium vocare liceat, ut res, unde Graeci metaphoras petere consueverint, quoad ex fabularum reliquiis perspici potest, cognoscamus.

Ab hominis igitur corpore, ut eundem ordinem, quem secutus sum in Plauti Terentiique metaphoris collocandis, teneam, iisque rebus et affectibus, quibus illud est expositum atque obnoxium, has ductas esse metaphoras a comicis Graecis ex fragmentis pellucet: Men.[1]) f. inc. CLXXV: *Ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν· τὰ δὲ χρήματα Ταῦτ᾽ ἐστὶν ὄψις, παραπέτασμα τοῦ βίου.* Clearch. *Κιθαρῳδός* fr. II. v. 3: *τὸ φωνάριον ἡμῶν περίσαρκον γίγνεται* i. e. vox veluti car-

---

[1]) In comicorum Graec. fragm. laudandis secutus sum, ut jam supra dixi, Meinekium (ed. maj. vol. III. et IV.).

nosa et corpulenta. Nausicrat. *Ναυκλῆροι* I. v. 3: *ἤδη φανέντος πελαγίοις ἐν ἀγκάλαις.*[1]) Phil. f. inc. LXXXI. *κἂν μέχρι νεφέων τὴν ὀφρὺν ἀνασπάσῃς Ὁ θάνατος αὐτὴν πᾶσαν ἑλκύσει κάτω· Τὴν ὀφρὺν ἀνασπᾶν* signif. „superbire." Eubul. *Καμπυλίων* fr. I. v. 1—2 *Τήν τ' εὐπρόςωπον λοπάδα τοῦ θαλαττίου Γλαύκου φέρουσαν εὐγενέστερον.* Id. *Τιτᾶνες*: *προσγελῶσά τε Λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι, Πηδῶσι δ' ἰχθῦς ἐν μέσοισι τηγάνοις.* Alexis *Ὀρχηστρίς* v. 4: *ὀδόντας οὐκ ἔχων* (sc. *οἶνος*) de leni vino dicitur. Aristoph. *Πλοῦτος* v. 170: *μέγας δὲ βασιλεὺς οὐχὶ διὰ τοῦτον κομᾷ;* cum enim capillum promittere (*κομᾶν*) sit laetitiae ac felicitatis, translate *κομᾶν* dicitur etiam pro „superbire." Ibid. v. 581: *ἀλλ' ὦ κρονικαῖς λήμαις ὄντως λημῶντες τὰς φρένας ἄμφω,* ubi *κρονικαὶ λῆμαι* sunt opiniones obsoletae. Ibid. v. 649—50: *ἄκουε τοίνυν, ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα Ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ* i. e. plane omnia tibi dicam. Phil. *Νεμόμενος*: *Ἀπὸ στόματος ἅπαντ' ἐρῶ* (i. e. libere omnia loquar) Graecis in proverbium venit. Men. *Ὑμνίς* VIII. *Πόσθων.* Photius: *Πόσθων*: *δηλοῖ δὲ καὶ τὸν παιδαριώδη καὶ ἄφρονα κατὰ μεταφοράν.* Men. f. inc. VI. v. 9: *καὶ νόσων χαλεπώτατος Φθόνος* i. e. invidia, pessimus morborum. Id. *Ὑμνίς* fr. II: *Οὐ πάνυ τι γηράσκουσιν αἱ τέχναι καλῶς, ἂν μὴ λάβωσι προστάτην φιλάργυρον.* Men. sent. 347: *Μετὰ τὴν δόσιν τάχιστα γηράσκει χάρις.* Ibid. 498: *Τέθνηκεν ἀνθρώποισιν ἅπασα χάρις.* Phil. *Πύῤῥος*: *Τέθνηκε κοινῇ πᾶς ὁ τῶν ζώντων βίος.* Diodor. *Αὐλητρίς* v. 3: *τοὺς λογισμοὺς δ' ἐξεμεῖ.* Fr. com. anonym. CCLX. Phrynichus p. 30, 10: *Βουλιμιᾷ τὰ βαλλάντια*: *κατὰ μεταφορὰν ἐπὶ τῶν μηδὲν ἐχόντων ἔνδον βαλαντίων.* Phil. *Μετίων ἢ Ζώμιος*: *τὸν πατέρα κατήσθιεν.* Men. *Παρακαταθήκη*: *Μακάριος ἐκεῖνος δεκατάλαντον καταφαγών.* Id. f. inc. LXXIX. *Τοὺς τὸν ἴδιον δαπανῶντας ἀλογίστως βίον Τὸ καλῶς ἀκούειν ταχὺ ποιεῖ πᾶσιν κακῶς.* Diph. *Ζώγραφος* fr. II. v. 27: *τὰ πατρῷα βρύκει καὶ σπαθᾷ.* Huc referendum est proverbium, quod item ab hominis corpore ductum jam supra memoravimus: Men. *Πλοκίον* I: *Ἐπ' ἀμφότερα νῦν ἄτ' ἐπίκληρος οὖσα δὴ μέλλει καθευδήσειν;* in eos dicitur, qui securi sunt et otiosi. — Metaphoram, quae ad externam aedis speciem spectet, in fragmentis nostris equidem non inveni; contra ut in Plauti metaphoris, sic in Graecorum commemoratio fit cellae promptuariae: Men. sent. 505: *Ταμιεῖον ἀνθρώποισι σωφροσύνη μόνη* et Alexandr. f. inc. I: *Ταμιεῖον ἀρετῆς ἐστι γενναία γυνή.* Tum vero sunt, quas Graeci petiverint a supellectile et a familia: Fr. comic. anon. CCLXXIV. Phryn. p. 59, 18: *Προβῦσαι φορτικὸν γέλωτα: ἀντὶ τοῦ προβαλεῖν· ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν τοὺς λύχνους προβυόντων τίθεται δὲ ἐπὶ τῶν μηδὲν σεμνὸν ἐχόντων, ἀεὶ δὲ διὰ τοῦ γελωτοποιεῖν θηρωμένων τι.*

---

[1]) Imitatur sermonem tragicorum. Aeschylus apud schol. Aristoph. 716: *ψυχὰς ἔχοντες κυμάτων ἐν ἀγκάλαις.* cf. Stanlejus ad Aesch. Coeph. 578.

Fr. com. an. CCLXXV. Phr. p. 60, 25: *Περικεκρουμένος ἄνθρωπος: ὁ οὐχ ὁλόκληρος — ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἀγγείων τῶν ὑπὸ χρόνου περικεκρουμένων.* Fr. com. anon. CCLXXXV: *ἂν μὴ ποιήσω πέπονα μαστιγῶν ὅλον Ἂν μὴ ποιήσω σπογγίας μαλακώτερον Τὸ πρόσωπον·* spongia antiqui mensas detergebant. Men. *Νομοθέτης: Ἑτέρου λυχνοῦχός ἐστιν, ἑτέρου λήκυθος* proverbialiter dictum est (nos: Der Eine hat den Beutel, der Andere das Geld). Fragm. com. anon. CCCLXXXIII: *Ἐκ τῆς αὐτῆς ψιάθου γεγονώς:* Appendix proverb. Goetting. II, 47: *ἐπὶ τῶν παραπλησίων καὶ ὁμοίων.* Ex familia commemoravit patrem Amphis *Ἔριθοι* I: *ὁ πατήρ γε τοῦ ζῆν ἀνθρώποις ἀγρός.* Timocl. *Ἥρωες* II: *Ὡς δ' ἦν ἡρμένη Βίου τιθήνη, πολεμία λιμοῦ, φύλαξ φιλίας — Τράπεζα.* Diphil. *Συνωρὶς* fr. II: *Οὐκ ἀλλ' ἀλείψας τὴν τράπεζαν τῇ χολῇ Ὥσπερ τὰ παιδί' αὐτὸν ἀπογαλακτιεῖ.* Haec recte interpretatur Dalecampius: „Puerulos ut ablactent nutricis mammam aloë felleve inungunt. Festive id significat parasitum, effusa in mensam bile, redeundi ad convivium facultatem sibi ademisse.“ Quibus tum fuerint Graeci moribus cogitanti tibi non mirum videbitur, illorum comicos permultas, paene dixi plurimas, petivisse metaphoras de culina. Men. *Ἀνατιθεμένη ἢ Μεσσηνία* fr. III: *Ἡγεῖται μ' ὅλως ἐπικόπανόν τι.* Fr. com. anon. CCLXVIII. Phryn. p. 47, 15: *Κυψέλαι φρονημάτων: οἷον θῆκαι φρονήσεως· κυψέλη γὰρ ἀγγεῖον εἰς ἀπόθεσιν πυρῶν.* Ita per risum jocumque poëta homines, qui sibi prae aliis sapere videbantur, dixerat. Fr. com. anon. CCLXIX. Phryn. p. 49, 3: *Κάμινον ἔχων ἐν τῷ πνεύμονι: ἐπὶ γυναικὸς μεθύσου.* Ephipp. *Ἄρτεμις: Παρ' Ἀλεξάνδρου δ' ἐκ Θετταλίας κόλλικα φαγὼν κρίβανος ἄρτων:* homo, de quo agitur, *κρίβανος ἄρτων* vocatus esse videtur, quod tamquam furnus plurimos panes deglutiret. Phil. *Ἥρωες: ὑπέρου περιτροπή* proverbii consuetudine dicitur de eo qui semper eadem in re versatur neque tamen absolvat ac perficiat. Aristoph. *Πλοῦτος* v. 1061: *πλυνόν με ποιῶν ἐν τοσούτοις ἀνδράσιν.* Men fab. inc. LXXIII: *Ἐὰν κακῶς μου τὴν γυναῖκ' οὕτω λέγῃς, Τὸν πατέρα καὶ σὺ τούς τε σοὺς ἐγὼ πλυνῶ. Πλυνόν τινα ποιεῖν* et *πλύνειν τινά* significat „aliquem graviter increpare.“ Alexis *Ἀγκυλίων* v. 2: *καὶ γνώσει λίτρον καὶ κρόμμυον* proverbialis dictio fuisse videtur de iis qui omnia scire volunt; *λίτρον* vel *νίτρον* antiqui linteis adhibebant purgandis. Anaxandr. *Κέρκιος: Ἐρυθρότερον καρῖδος ὀπτῆς σ' ἀποφανῶ.* Aristoph. *Πλοῦτος* v. 159: *ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν.* Alexis *Γυναικοκρατία* fr. II: *ὁ δὲ Κίλιξ ὅδ' Ἱπποκλῆς Ὁ ζωμοτάριχος ὑποκριτής.* Nomen *ζωμοτάριχος*, quo proprie salsamentum cum jusculo apparatum significatur, fortasse ad irridendum Hippocratis stuporem spectat. Eudox. *Ὑποβολιμαῖος: Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα — ἐπὶ τῶν ἀηδῶν τάττεται ἡ παροιμία.* Diodor. *Τρόχιλος* v. 2: *ὅσῳ διαφέρει σῦκα καρδάμων* proverbialis locutio fuisse videtur similis illi Latinorum „distat aera lupinis.“ A vestibus Graeci non plures fere duxerunt metaphoras quam Romani:

Men. *Πλοκίον* fr. IV: *Μήτ' ἂν ἀτυχήσας εἰς τὰ κοινὰ τοῦ βίου Ἐπαμφιάσαι δύναιτο τοῦτο χρήμασιν Ἀλλ' ἐν ἀκαλύπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ.* Fr. com. anon. CCCLX: *ὑποβολιμαίαν σύνεσιν ἠμφιεσμένος.* Men. *Πλοκίον* VI: *εἶχεν δὲ παραπέτασμα τὴν ἐρημίαν* i. e. sibi mantellum fecit solitudinem. Men. f. inc. CLXXV. *Ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν· τὰ δὲ χρήματα Ταῦτ' ἐστὶν ὄψις, παραπέτασμα τοῦ βίου.* Eosdem versus dat Antiphanes f. inc. LXIII. et Alexis f. inc. XLI. Pulcherrima utebatur metaphora Anthenio: *Σαμοθρᾶκες* v. 39: *ἄνθρωπε χαῖρε, περὶ πόδ' εἶ τῷ δεσπότῃ· περὶ πόδα εἶναι* cum proprie de calceo dicatur, qui aptus est ad pedem, metaphorice ponitur pro „alicui acceptum ac jucundum esse.“ A mercatura metaphoras, quippe quas intellectu facillimas populo Graeco fore comici non ignorarent, petitas esse multas jam supra diximus. Men. *Ὑποβολιμαῖος* fr. II: *Πανήγυριν νόμισόν τιν' εἶναι τὸν χρόνον Ὃν φημι* i. e. Mercatum crede tempus hoc quod vivitur. Id. sent. 444: *Πανήγυριν νόμιζε τόνδε τὸν βίον.* Id. *Ἁλιεῖς: Χαλεπόν γε θυγάτηρ κτῆμα καὶ δυσδιάθετον·* metaphora (*δυσδιάθετον*) a mercibus venum expositis petita. Aristoph. *Πλοῦτος* v. 862: *ἔοικε δ' εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος* (eadem nos utimur metaphora: Ein Mann von schlechtem Schlage). Men. f. inc. CXLVIII: *τοῦ δυστυχεῖν νόμιζέ σ' ἀῤῥαβῶν' ἔχειν.* Antiphanes: *Κναφεὺς* v. 6—7: *ἡμεῖς δ' ἔχοντες ἀῤῥαβῶνα τὴν τέχνην Τοῦ ζῆν.* Euphro *Ἀποδιδοῦσα: ὥσπερ χρυσίου Φωνῆς ἀπότισον, Πυργόθεμι, καταλλαγήν* i. e. ut auri, sic tibi harum vocum est persolvendus collybus. Phil. LI. c. *Τῇ γῇ δανείζειν κρεῖττόν ἐστιν ἢ βροτοῖς Ἥτις τόκους δίδωσιν οὐ λυπουμένη.* Anaxandr. f. inc. XVII: *Ὑπερήμεροί μοι τῶν γάμων αἱ παρθένοι* pater de filiis dicit jam justo maturioribus matrimonio. Proprie *ὑπερήμερος* is vocatur, qui diem solvendi non observavit. Ceterum Aristoteles Rhet. III, 10 metaphorarum exempla afferens illum laudat locum. His metaphoris optime, ni omnia me fallunt, eas addiderim quas Menander de viatico traxit: *Ὑμνίς* I: *Νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, μακάριόν γ' ἡ χρηστότης Πρὸς πάντα καὶ θαυμαστὸν ἐφόδιον βίῳ* et fab. inc. CCLI: *Οὐκ ἔστι τόλμης ἐφόδιον μεῖζον βίου.* Denique mentionem fecit marsupii Menander f. inc. LXVII: *ὁ γεγηρακὼς καὶ ῥυσότερον βαλαντίου ἔχων τὸ πρόσωπον* i. e. marsupio rugosiorem habens faciem. Ab opificibus duxit Alexis: *Ἰσοστάσιον* fr. I. v. 2—3: *ῥάπτουσι δὲ πᾶσιν ἐπιβουλάς.* Contra artem medicam, unde Plautum et Terentium nullas fere metaphoras petivisse vidimus, Graeci videntur saepius in auxilium vocasse. Phil. *Ἄπολις: ψυχῆς ἰατρὸν κατέλιπεν τὰ γράμματα.* Men. f. inc. XXIII: *Λύπης ἰατρός ἐστιν ἀνθρώποις λόγος· Λέγουσι δ' αὐτὸν οἱ πάλαι σοφώτατοι Ἀστεῖον εἶναι φάρμακον.* Id. f. inc. CXXXI: *Πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων κακῶν Χρόνος ἐστίν.* Bato f. inc. I. v. 6: *τὸ πρᾶγμα παρακεντοῦσι κοὐκ ἀληθινῶς παρακεντοῦσι* dictum videri potest pro *παρακαλύπτουσι.* Metaphorae nimirum a medicorum arte petitae Meinekio dicenti ratio-

nem non satis intellegi assentior. Ex artibus ingenuis musicam praeter ceteras fuisse notam populo Graeco metaphorae inde petitae multae nos docent. Damoxenus: *Σύντροφοι* v. 40—43: *A. τί γὰρ ἂν εὖ γένοιτ᾽ ἔτι, Τῆς ἰδιότητος πρὸς ἑτέραν μεμιγμένης Καὶ συμπλεκομένης οὐχὶ συμφώνους ἁφάς.* Vocem *ἁφαὶ* ex musicorum arte adscitam esse recte statuit Petitus. Ibid. v. 62: *Ἐπίκουρος οὕτω κατεπύκνου τὴν ἡδονήν.* Verbo *καταπυκνοῦν* (ex musicorum ratione desumto) ipse Epicurus usus est de voluptate loquens in *κυρίαις δόξαις.* Macho: *Ἐπιστολή* v. 8—11: *πάλιν γεύου σὺ μέχρι ἂν ἡδὺς ᾖ, Ὥσπερ λύραν ἐπίτειν᾽ ἕως ἂν ἁρμόσῃ Εἶθ᾽ ὁπόταν ἤδη πάντα συμφωνεῖν δοκῇ, Εἴσαγε διὰ πασῶν Νικολᾶδας Μυκονίας.* Festive Macho formulas ex arte musica ad artem culinariam transtulit. Item verbum *διαγιγγράζειν* ex auletica arte petitum more comicorum ad culinariam transtulit Anthenio: *Σαμοθρᾶκες* v. 30—31: *ἐρίφιον ἐτακέρωσε, πνικτὸν διέλαβεν, περικομματίῳ διεγίγγρας᾽ ὑποκρούσας γλυκεῖ.* Fr. com. anon. CCLXV. Phryn. p. 39, 5: *Ἐρρωγότας λέγειν λόγους: οἷον ἀηδεῖς καὶ ἀπᾴδοντας, οὐχ ἁρμονίους· ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἐξερρωγότων ὀργάνων· καὶ γὰρ ταῦτα ἀνάρμοστον καὶ ἀηδὲς φθέγγονται.* Fr. com. anon. CCCXI. b. Pollux II, 16: *τὰ κωμικὰ σκώμματα (γερόντων): παρακεκινηκὼς ὑφ᾽ ἡλικίας· παρακινεῖν* proprie de citharistis usurpatum esse videtur a recta chordarum via aberrantibus. A magistratibus eorumque muneribus Romanos quidem non ita paucas duxisse metaphoras vidimus, Graecos autem nullas inde petiisse haud mirum videtur, cum studium, opinor, rerum publicarum, libertate eversa, jam non omnibus esset commune. Contra a gymnasio et palaestra, quibus Graeci etiam tum operam dabant, comici haud metuentes, ne populo non intellectae displicerent, metaphoras ducere potuerunt. Ita Men. *Πλοκίον* VII: *Ἀρ᾽ ἐστὶν ἀρετῆς καὶ βίου διδάσκαλος Ἐλευθέρου τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγρός.* Eubul. *Σεμέλη ἢ Διόνυσος* I. v. 11—12: *πολὺς γὰρ εἰς ἓν μικρὸν ἀγγεῖον χυθεὶς Ὑποσκελίζει ῥᾷστα τοὺς πεπωκότας· ὑποσκελίζειν* i. e. „supplantare" (ein Bein stellen) improprie dictum est: „bibentes evertit, mentes eorum labefactat." Timocles: *Πύκτης: Εὑρήσεις δὲ τῶν ἐπισιτίων τούτων τινάς, οἳ δειπνοῦσιν ἐσφυδωμένοι Τἀλλότρι᾽, ἑαυτοὺς ἀντὶ κωρύκων δέρειν*[1]) *Παρέχοντες ἀθληταῖσιν.* Coryci enim, quibus cibis quasi tumentes istos parasitos comparat, sunt sacci sabulo vel farina vel ficuum granis distenti, quos a lacunari suspensos athletae manibus verberabant et apprehendere conabantur. — Comoediae temporibus et mediae et novae Graecos ut prorsus imbelles fuisse peregrinos in iis rebus, quae ad militiam spectarent, eamque ob causam comicos inde multas meta-

---

[1]) Pro *δέρειν* vulgo *λέγειν;* correxit Porsonus. Meinekius *λέπειν* scribere proposuit quod cum eundem habeat sensum ac literarum ductu a tradito *λέγειν* vel propius quam *δέρειν* absit, certe probaverim.

phoras adsciscere non potuisse per se intellegitur. Aristoph. *Πλοῦτος* v. 33—34: *τὸν ἐμὸν μὲν αὐτοῦ ᾠχόμην ὡς τὸν θεόν, Ἤδη νομίζων ἐκτετοξεῦσθαι βίον.* Ib. v. 666: *κλέπτων δὲ τοὺς βλέποντας ὑπερηκόντικεν.* Men. f. inc. LXXXVII: *Αἰσχρόν γ' ὅταν τις ἐπὶ γλώσσῃ φυείς Γλώσσῃ ματαίους ἐξακοντίσῃ λόγους.* Id. sent. 261: *Ἰὸς πέφυκεν ἀσπίδος κακὴ γυνή.* Antiphan. f. inc. I: *Τὸ δεῖπνόν ἐστι μᾶζα κεχαρακωμένη Ἀχύροις, πρὸς εὐτέλειαν ἐξωπλισμένη.* Haec sic transtulit H. Grotius: „Polenta coenae nobis erit ipsum caput vallata paleis, structa perfrugaliter.“ Nicostrat. f. inc. V: *Ἆρ' οἶσθ' ὅτι τῆς πενίας ὅπλον Παῤῥησία; ταύτην ἐάν τις ἀπολέσῃ, Τὴν ἀσπίδ' ἀποβέβληκεν οὗτος τοῦ βίου.* Men. *Καταψευδόμενος* I: *Ἱππεῖς προκαλεῖσθαι εἰς πεδίον — ἐπὶ τῶν τοὺς ἔν τισι βελτίους καὶ ἐπιστημονικωτέρους αὐτῶν εἰς ἔριν προκαλουμένων.* — A ludis circensibus duxit Ephicrates: *Ἀντιλαΐς* fr. II. v. 18: *ἐπεὶ δὲ δόλιχον τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχει* „longum vitae spatium emetiri.“ Alexis: *Τραυματίας* I: *Τὸν γὰρ ὕστατον Τρέχων δίαυλον τοῦ βίου ζῆν βούλοιμι.* Posidippus: *Χορεύουσαι* v. 23: *ἱππόδρομος οὗτος ἐστί σοι μαγειρικῆς.* A ludis scenicis petitas metaphoras jam supra attulimus, sicuti Diph. *Ζωγράφος* I. v. 1: *ἄριστον ἐπεχόρευσεν ἐκλελεγμένον.* Id. *Πελιάδες* v. 4: *εἰς τὸ μέσον ἐπεχόρευσε σαπέρδης μέγας.* Anaxandr. f. inc. VIII: *Ὦ πονηρὰ καρδία, Ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος· Ὀρχεῖ γὰρ εὐθύς, ἂν ἴδῃς δεδοικότα.* A latrunculorum lusu hanc vocem sumpsit Men.: *Ἀῤῥηφόρος ἢ Αὐλητρίς* fr. I: *ἀνεῤῥίφθω κύβος* jacta est alea. — Pluries tangunt metaphoris Graeci caerimonias ac mysteria, quorum Romani haud saepe habuerunt rationem. Men. f. inc. XCIV: *Ὅστις στρατηγεῖ μὴ στρατιώτης γενόμενος Οὗτος ἑκατόμβην ἐξάγει τοῖς πολεμίοις.* Aristoph. *Πλοῦτος* v. 681: *ἔπειτα ταῦθ' ἥγιζεν ἐς σάκταν τινά,* ubi *ἁγίζειν* translate dicitur pro „surripere, furari.“ Damoxenus: *Σύντροφοι* v. 4—5: *Τάλαντ' ἐγώ σοι κατεπύκνωσα τέτταρα. B. τοῦτο δὲ τί ἐστιν; εἰπέ μοι. A. καθήγισα,* quo in fumum dissolutam esse pecuniam significat. Ex Diodori fab. incertis: *Ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια.* Men. *Περίνθια* IV: *Ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν εἰσι πομπεῖαί τινες σφόδρα λοίδοροι. Ἡ μεταφορὰ δὲ ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς Διονυσιακαῖς πομπαῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν λοιδορουμένων ἀλλήλοις.* — Omnes fere Graecos peritissimos fuisse rerum navalium, cum alia tum vero ea tulit res, quod classe maritimisque rebus omni aetate permultum valuerunt, ita ut etiam terra marique victi ac libertate privati mercaturam quidem maritimam retinerent; quid igitur mirum, comicos quam plurimas inde duxisse metaphoras? Ita Phil. fab. inc. fr. I: *κἂν μὲν ὁρμισθῇ τις ἡμῶν εἰς λιμένα τὸν τῆς τέχνης Ἐβάλετ' ἄγκυραν καθάψας ἀσφαλείας εἵνεκα· Ἂν δ' ἀπαίδευτος μετάσχῃ πνεύματος φορούμενος Τῆς ἀπορίας εἰς τὸ γῆρας οὐκ ἔχει σωτηρίαν.* Men. *Ἀῤῥηφόρος* fr. I: *εἰς πέλαγος αὐτὸν ἐμβαλεῖς γὰρ πραγμάτων.* Id. *Ὑποβολιμαῖος* fr. III. v. 4: *τοῦτ'*

(sc. ἡ τύχη) ἔστι τὸ κυβερνῶν ἅπαντα. Ibid. v. 9: Τύχη κυβερνᾷ πάντα. Men. f. inc. CLXVI. Ἂν καλὸν ἔχῃ τις σῶμα καὶ ψυχὴν κακήν Καλὴν ἔχει ναῦν καὶ κυβερνήτην κακόν, Antiphan. Ἀρκάς I. v. 7—8: Τὰς φλέβας θ' ὅποι φέρονται, τὰς ἄνω καὶ τὰς κάτω Τεταμένας, δι' ὧν ὁ θνητὸς πᾶς κυβερνᾶται βίος. Men. sent. 99: Γυνὴ δὲ χρηστὴ πηδάλιόν ἐστ' οἰκίας, ibid. 309: Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη, ibid. 312: Λιμὴν πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς, ibid. 318: Λιμὴν πλοίου μὲν, ἀλυπία δ' ὅρμος βίου. Amphis: Ἀμπελουργός fr. I. v. 3—4: Ἐπὶ τοῦ μαθήματος γὰρ ἑστηκὼς ὁ νοῦς, Αὐτοῦ λέληθε παραπλέων τὰς συμφοράς. Eubul: Ὀρθάνης III: Ὡς εὖ νεναυάγηκεν ἐπὶ τοῦ τηγάνου ὁ θεοῖσιν ἐχθρὸς Μυρτίλος. Anaxandr. Ἀγχίσης fr. I: τὸν γὰρ οἴακα στρέφει Δαίμων ἑκάστῳ, quae verba H. Grotius sic transtulit: „sic gubernaclum, ut lubet Fortuna, cuique versat. Xenarch: Βουταλίων v. 7—8: μάτην δὲ ʽπόντου κυανέαις δίναις τραφεὶς Φλέβος τροπωτήρ. Cum τροπωτήρ proprie sit lorum, quo remi ad scalmos alligati impelluntur et reducuntur, non male φλεβὸς τροπωτῆρα explices venae alligatorem, quo nervus tanquam remus muliebri parti quasi paxillo ita inseritur et illigatur, ut et impelli possit et reduci. Eadem metaphora usus est Aristoph. Eccl. v. 1083: πῶς οὖν δικωπεῖν ἀμφοτέρας δυνήσομαι. Theophil. Νεοπτόλεμος I: οὐ συμφέρον νέα 'στὶ πρεσβύτῃ γυνή Ὥσπερ γὰρ ἄκατος οὐδὲ μικρὸν πείθεται Ἑνὶ πηδαλίῳ, τὸ δὲ πεῖσμ' ἀποῤῥήξασα δὲ Ἐκ νυκτὸς ἕτερον λιμέν' ἔχους' ἐξευρέθη. Fr. com. anon. XCVa. Eustathius p. 1472, 5: ὅτι δὲ τὰ θέατρα θάλασσα κοίλη ἐλέγετο δηλοῖ Παυσανίας. Comparat comicus spectatorum turbas cum mari tempestuoso et procellis agitato. Men. Θεοφορουμένη V: δεύτερος πλοῦς — παροιμία. Id. sent. 671: Θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις i. e. deo volente nihil non effici potest. Praeter unicam de aucupio petitam metaphorae a re venatoria adscitae non extant: Men. f. inc. LXVII: Πρᾶον κακοῦργος σχῆμ' ὑπεισελθὼν ἀνὴρ κεκρυμμένη κεῖται παγὶς τοῖς πλησίον. A re rustica duxit Men. sent. 42: Αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι τοὺς κενοὺς βροτῶν. Tum vero Phil. f. inc. XCIII: Ὄνος βαδίζεις εἰς ἄχυρα τραγημάτων. Dicebantur illa haud dubie in aliquem, qui sero ad convivium veniret, cum vix bellariorum aliquid reliquum esset. — Non ita raro Graecos elocutiones a vitium cultura desumtas ad vitam humanam transtulisse meo jure mihi colligere videor ex duobus fragmentis, ubi cum vite homo comparetur. Antiphan. f. inc. LXVIII: Σφόδρ' ἐστὶν ἡμῶν ὁ βίος οἴνῳ προσφερής. Ὅταν ᾖ τὸ λοιπὸν μικρόν, ὄξος γίγνεται· Πρὸς γὰρ τὸ γῆρας ὥσπερ εἰργαστήριον Ἅπαντα τἀνθρώπεια προσφοιτᾷ κακά. Alexis Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος VI: Ὁμοιότατος ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν Τρόπον τιν' ἐστί· καὶ γὰρ οἶνον τὸν νέον Πολλὴ 'στ ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι Πρώτιστον ἀφυβρίσαι τ', ἀπανθήσαντα δὲ Σκληρὸν γενέσθαι, παρακμάσαντα δ' ὧν λέγω Τούτων ἁπάντων, ἀπαραθέντα τὴν ἄνω Ταύτην ἄνοιαν ἐπιπολάζουσαν, τότε Πότιμον.

γενέσθαι καὶ καταστῆναι πάλιν, Ἡδὺν θ' ἅπασι τοὐπίλοιπον διατελεῖν A poma legentibus petivit hanc metaphoram Men. Ἀδελφοί XI: Ὀκτώ τις ὑποχεῖν ἀνεβόα καὶ δώδεκα Κυάθους, ἕως κατέσεισε φιλοτιμούμενος. Ad h. l. Athenaeus: κατασείειν δὲ ἔλεγον ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς πότοις προπινόντων, τὴν μεταφορὰν λαμβάνοντες ἀπὸ τῶν τοὺς καρποὺς κατασειόντων. Men. fab. inc. CLXXXII: Ὁ μὴ τρέφων τεκοῦσαν ἐκ τέχνης νέος, Ἄκαρπος οὗτός ἐστ' ἀπὸ ῥίζης κλάδος. Phil. Σάρδιος: ἡ λύπη δ' ἔχει Ὥσπερ τὸ δένδρον τοῦτο καρπὸν τὸ δάκρυον. Ab ovium tonsura adscitam metaphoram jam supra tetigimus: Eubul. Δόλων III: πρὸς φθεῖρα κείρασθαι „tonderi ad cutem usque" pro „spoliari." Cum Graeci ab animalium omni genere permultas duxerint metaphoras, tum vero reliquas numero superare a piscibus petitae videntur. Men. Ῥαπιζομένη VIII: Ὁ μυόχοδος γέρων (nos: der alte Mäusekötel). Men. f. inc. CCIII: Λυκοφίλιοι μέν εἰσιν αἱ διαλλαγαί, Photius: Λυκοφιλίως: ὑπόπτως, ὑπούλως. Eubul. Αὐγή v. 11: ὡς λύκος χανών· proverbio λύκος χαίνει is qui spe frustratus est, notatur. Fr. com. an. CCLXXVIII: Phryn. p. 64, 26: Τρυπαλώπηξ: ὁ διὰ πανουργίαν πάντα τρυπῶν καὶ ἐργάζεσθαι δυνάμενος. Eubul. Παννυχίς: Φιλῳδοὺς κερμάτων παλευτρίας *** πώλους Κύπριδος ἐξησκημένας vocat comicus meretrices. Anaxilas: f. inc. I: Οἱ κόλακές εἰσι τῶν ἐχόντων οὐσίας Σκώληκες. Fr. com. an. CCCXI b.: Pollux II, 16 τὰ κωμικὰ σκώμματα (γερόντων): ὑπὲρ τὰς ἐλάφους βεβιωκὼς ἢ τὰς κορώνας. Phil. Εὔριπος: Στρῶμα μηλώτην τ' ἔχει (similiter nos: der Wolf im Schafskleide). Diph. Παράσιτος II: γέγηθα καὶ χαίρω τι καὶ πτερύττομαι. Men. fab. inc. CXLIV: Μισῶ πένητα πλουσίῳ δωρούμενον· Ἔλεγχός ἐστι τῆς ἀχορτάστου τύχης. Men. Εὐνοῦχος III: Οὗτός ἐστι γαλεώτης γέρων. Antiphan.: Λάμπων: Κεστρεῖς ἔχων, ἀλλ' οὐ στρατιώτας τυγχάνεις. B. νήστεις γε. Κεστρεῖς dicuntur famelici. Timocles: Ἰκάριοι σάτυροι I. v. 3—4: ὁπόταν Χαιρεφίλου τοὺς δύο σκόμβρους Ξενίσῃ μεγάλους ἡδομένη. Ibid. fr. II. v. 5—7: Ταρίχους εὐπόρως γὰρ τυγχάνει Ἔχουσα καὶ σύνεστι σαπέρδαις δυοῖν Καὶ ταῦτ' ἀνάλτοις καὶ πλατυῤῥύγχοις τισίν. Σκόμβρους vocat Chairephili filios eodem sensu quo in altero fragmento iidem dicuntur τάριχοι et σαπέρδαι, quae stultorum hominum sunt convicia. Similiter, ut jam metaphoras tractantes de culina petitas vidimus, minantem aliquem fecit Anaxandr. Κέρκιος: Ἐρυθρότερον καρῖδος ὀπτῆς σ' ἀποφανῶ. In plantis hospites tantum, ut videtur, Graeci fuerunt; nam inde non ita multas adsciscunt metaphoras. Anaxilas: f. inc. I. v. 5: ἔπειθ' ὁ μὲν λέμμ' ἐστίν, ὁ δ' ἕτερον δάκνει „hic gluma est (ab adulatoribus perditus): ille alium admordet. Diodorus: Ἐπίκληρος v. 36—37: ῥαφανῖδας ἢ σαπρὸν σίλουρον καταφαγών, Ἴα καὶ ῥόδ' ἔφασαν αὐτὸν ἠριστηκέναι. Fr. com. anon. LXIII: Μοχθηρὸς ὢν καὶ τὴν γνώμην ἀχερδούσιος. Etym. M. p. 181, 3: Ἄχερδος — ἡ ἀγρία ἄπιος — ἀχερδούσιος ἀντὶ τοῦ „σκληρός." Fossilia tangit illud

proverbialiter dictum καθεσθίειν καὶ τοὺς ἄνθρακας de hominibus voracissimis, quod dat Euphro: Συνεφῆβοι v. 13—14: εἴ σε λήψομαι Νῦν μὴ καθεσθίοντα καὶ τοὺς ἄνθρακας. — Saepissime fit translatio vocis χειμὼν pro „pestis", „pernicies" et χειμάζειν pro „perdere, pessumdare": Phil. Ἔφηβος: ἐμοὶ δὲ τοῦτ᾽ οὐκ ἔστιν· οὐκ εἰς ἡμέραν Χειμάζομαι μίαν γάρ, εἰς τὸ ζῆν δ᾽ ὅλον Ἀεὶ τὸ λυπεῖσθαι δὲ μεῖζον γίγνεται. Men. Εὐνοῦχος II: Μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι Χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ᾽ ἀναγκαίους φέρε. Id. Πλοκίον IV: Ἀλλ᾽ ἐν ἀκαλύπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ Χειμαζόμενος ζῇ. Id. sent. 540: Χειμὼν κατ᾽ οἴκους ἀνδράσιν κακὴ γυνή. Alexis: Παράσιτος I. v. 7: χειμὼν ὁ μειρακίσκος ἐστὶ τοῖς φίλοις. Idem Alexis metaphorice posuit ἑσπέραν pro fine: Τιτθή III: Ἤδη γὰρ ὁ βίος οὑμὸς ἑσπέραν ἄγει. Eadem metaphora usus est Hegesander ap. Athen. XIII. p. 592b: ἐπὶ δὲ δυσμαῖς ὢν τοῦ βίου. Ex quatuor elementis nisi aqua nullum venit in metaphorae usum. Men. sent. 25: Ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε (nos: schreib' in den Rauchfang). Porro ut nos colorem album quasi omen quoddam accipimus secundum, ita dixit Men. Λευκαδία IV: ἡμέρα λευκή pro „dies laetus." Sed ut ad aquam revertar, Alxis ὕειν vocis usus est translatione: Εἰσοικιζόμενος I, v. 6: ἠλειφόμην ὑόμενος ἰρίνῳ μύρῳ. Naturae observationi debetur metaphora, quam Aristoteles de gener. anim. V, 5 (fr. com. anon. XIV. ap. Meinek.) affert: καὶ εὖ δὴ οἱ ποιηταὶ ἐν ταῖς κωμῳδίαις μεταφέρουσι σκώπτοντες τὰς πολιὰς καλοῦντες γήρως εὐρῶτα καὶ πάχνην. Graecos, qui mercaturae studerent maritimae, crebro usos esse externarum gentium consuetudine, facile intellegitur. Itaque illarum moribus institutisque a popularibus perspectis atque cognitis comici Graeci, cum Romanis non liceret, inde metaphoras ducere potuerunt. Phil. Σικελικός: Τὸ δὴ λεγόμενον τοῦτο Μυσῶν ἔσχατον. Men. Ἀνδρογυνὸς ἢ Κρῆς VII: Ἔσχατος Μυσῶν — ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν δυσχερῶς ἐπιτασσομένων. Men. Ἐγχειρίδιον II: Τοῦ δ᾽ ἄρα Κωρυκαῖος ἠκροάσατο — ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν δοκούντων μὲν λάθρα πράττεσθαι, εἰς γνῶσιν δὲ ἐρχομένων Aristoph. Πλοῦτος v. 1002: πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι de pristino splendore atque amplitudine proverbialiter dictum est ut illud „fuimus Troes." Huc denique referenda est metaphora ducta de Aetnae montis natura: fr. com. anon. CCLV: Αἴτνη ἄνθρωπος: εἴ τις βούλοιτο ἀποσκῶψαί τινα εἰς πολυφαγίαν καὶ ἀπληστίαν καὶ ἀδηφαγίαν. Extremo igitur loco tribuamus metaphoras, quae a diis deabusque et a mythologia sunt petitae. Alexis: Μιλήσια I. v. 16: ἤδη πυκνοὶ δ᾽ ᾄττουσιν Ἡφαίστου κύνες. Vulcani canes dixit scintillas etiam Eubulus: Ὀρθάνης I, 7: ῥιπὶς δ᾽ ἐγείρει φύλακας Ἡφαίστου κύνας. Euphro: Μοῦσαι v. 2: μεστὴν ζέουσαν λοπάδα Νηρείων τέκνων i. e. piscium plenam patinam. Ephippus: Κύδων II. v. 7: Διὸς ἐγκέφαλος dicitur proverbialiter de cibo delicatissimo. Phil. Πτερύγιον: Τὸ τῆς

᾿Αμαλθείας κέρας „cornu Copiae“, ut est in proverbio apud Graecos. Fr. com. anon. CCLXXI. Phryn. p. 51, 22: Μεθυσοχάρυβδις: ἐπὶ γυναικὸς μεθύσου. Phil. f. inc. XL b.: Σφίγγ᾽ ἄῤῥεν᾽, οὐ μάγειρον Εἰς τὴν οἰκίαν εἴληφ᾽ i. e. Sphingem marem, non coquum admisi in domum, namque nihil intellego horum quae loquitur; intrat nova meditatus vocabula. Fr. com. anon. CCXXXIV: Τὰ Ταντάλου τάλαντα ταντταλίζεται de homine ditissimo proverbium. Diph. f. inc. VII: Δούρειον ἐπάγω χῆνα τῷ φυσήματι. Anserem δούρειον dicit ad similitudinem equi Trojani, cujus uterus fortissimos quosque heroas inclusos tenebat. Ita anser ille delicatissimis farciminibus distentus et quasi inflatus erat. —

Jam supra comicos Graecos et Romanos non iisdem uti potuisse metaphoris a temporum, quibus utrique fabulas scribebant, et hominum, apud quos dabant, dissimilitudine, probasse mihi videor. Neque vero hanc sententiam collocatae comicorum Graecorum metaphorae, quaecunque ex fragmentis elici poterant, non confirmant, quippe quarum perpaucae sint adscitae a re militari, venatoria, rustica, a plantis, nullae fere a magistratibus, ab institutis publicis, quas res omnes saepissime tetigisse videmus metaphoris suis comicos Romanos, longe plurimae a culina, permultae a mercatura, ab artibus imprimisque a medicina et musica, a palaestra, a ludis publicis, a caerimoniis et mysteriis, a rebus maritimis, a gentibus externis, a diis, a mythologia, unde petitas metaphoras intellecturos non esse auditores Romanos illarum rerum rudiores et tirones haud nescii suo jure comici Romani magna ex parte omiserunt. Nimirum hi poëtae in fabulis Graecis inveniebant etiam ductas a culina et a mercatura et a ceteris rebus, quas Graecis proprias diximus, metaphoras, quae, sive erant ex utrique populo communi rerum observatione profectae sive ob simplicitatem Romanis facile intellegendae, sine ullo dubio excipi possent. Quamquam igitur Plautus et Terentius, ut eadem utebantur materia, eisdem personis, ita ab iisdem rebus utpote universo populo cognitis ducere debebant metaphoras, tamen idem discriminis quod hujus inter et illius rationem tractandi intercedebat materiam a Graecis adscitam, esse inter metaphoras Plautinas et Terentianas itaque majoris natu comici haud multas in solo Graeco esse ortas, minoris fere omnes, satis ea ex re elucet, quod cum Plautus, quo erat studio se a Graecis liberandi — id quidem recentiores omnes judicant, etsi hujus ipsius initio saeculi inveniebantur, qui Plautum comicorum Graecorum servum appellarent — plerumque ab exemplaribus, ad quae suas conformavit fabulas, recederet, Terentius non ita saepe sese interpretis deposuisse porsonam atque adeo passim verbum de verbo expressum extulisse ipse confitetur. At huic non tantum defuit studium, sed etiam facultas cum Plauto ab exemplaribus Graecis liberius recedendi; nam licet hunc superarit orationis ac stili elegantia, materia artificiosius trac-

tata, personarum moribus accuratius notatis, tamen ingenio ad fingendum acuto, ac praesertim sale facetiisque Plauto prorsus impar est. Quo nomine utrumque poëtam rectissime dijudicat Teuffel (G. R. L. § 87 et § 100). — Itaque jam non miraberis, Terentium prae Plauto poëtam esse imaginibus egentissimum. Cum enim neque ignoraret metaphorarum, quas in fabulis Graecis inveniret, maximam partem a populo Romano intellegi non posse neque ingenio esset is, qui de suo penu orationem imaginum frequentia illustraret, nihil aliud potuit quam recipere et Latine vertere eas comicorum Graecorum mataphoras, quae a civium suorum sensu atque eruditione non abhorrerent. Inde satis explicatur, cur nullas fere apud Terentium invenias metaphoras ab institutis publicis, a re militari, a re rustica, a plantis ductas, complures a culina, a conviviis, a mercatura, a rebus navalibus. Tum vero nonnullas Graecas Terentium latine ad verbum vertisse, jam supra probavimus: Adelph. v. 834: „Prope decurso spatio omitto" (p. 19), Phorm. v. 468: „auribus teneo lupum" (p. 32), Haut. tim. v. 290: „In aurem utramvis otiose ut dormias" (p. 31), ibid. v. 429: Quantam fenestram ad nequitiem patefeceris" (p. 8), Adelph. v. 286: „Ut ego iram hanc in eos evomam omnem" (p. 7), ibid. v. 484: „ut in eum haec evomam" (p. 7), Hecyr. v. 458: „Atque in eam hoc omne, quod mihi aegre'st, evomam" (p. 7). Huic metaphorae alia est ita similis, ut Graecis quamquam nullo loco teste eam deberi judicem. Eun. v. 355: „quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo" (p. 6). Jam vero Graecos redolent aliae Terentii metaphorae, quarum aliquot etiam Plautum ab illis petiisse, inde coniicio, quia Terentius iisdem est usus. Ita Haut. tim. v. 621: „Crucior bolum mihi tantum ereptum tam desubito e faucibus" (p. 6), Phorm. v. 818: „Satin'est, si te delibutum gaudio reddo" (p. 13), Eun. v. 656: „Possumne hodie ex te exsculpere Verum" (p. 14), Phorm. v. 455: „Foeneratum istuc beneficium pulchre tibi dices" (p. 14), Andr. v. 815: „omnis res est jam in vado" (p. 21), ibid. v. 451: „Nunc hujus periclo fit, ego in portu navigo" (p. 22), Phorm. v. 651: „Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo auferat" (p. 21), ibid. v. 284: „tute hoc intristi, tibi omne est exedendum" (p. 31), Eun. v. 60: „Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo" (p. 11). Has quidem metaphoras adscitas ab iis rebus, quas Graeci tangere solerent, illis debere verisimile est; contra certe una ac sola Terentii metaphora, quae ad rem militarem spectat, vere Romana est: Phorm. v. 196: „Ego in subsidiis hic ero Succenturiatus." — Denique Terentius pariter ac Plautus recepit ejusmodi metaphoras, quas jam in proverbii consuetudinem venerant quaeque magna ex parte populi ingenio ac lepori debentur, sicuti: Adelph. v. 511: „lupus in fabula" p. 32). Phorm. v. 730: „Ita fugias, ne praeter casam" (p. 33), Eun. v. 330: „at enim istaec in me cudetur faba (p. 33), Phorm. v. 45: „scisti uti foro" (p. 13),

ibid. v. 742: „vorsura solvis" (p. 14). Quarum locutionum proverbialium, quas Plautus dicit verba vetera, nonnullas duco emanasse e poëmatis cum tragicorum tum vero comicorum, id quod exemplis me probare non posse magnopere doleo. At conferantur Schilleri nostri voces jam in vulgi ore receptae: „Ich kenne meine Pappenheimer", „Die schönen Tage von Aranjuez sind nun vorüber" aliaeque. — Cum Terentius a vi comica, ut recte ait Teuffel, fere nudus esset, Plautus jocis ac facetiis, imaginibus ac metaphoris. — Plautinas enim, quippe quae tantum non omnes redoleant comicum, una ibidem traho cum facetiis — adeo abundavit, ut eo nomine Graecos, quos imitabatur, vel superavisse videretur. Quam sententiam ut jam tulerunt antiquis temporibus Cicero (Off. I, 29, 104) et Sid. Apoll. XXIII, 148: Grajos, Plaute, sales lepore transis", ita nuper C. Ottfr. Müller, qui (G. G. L. II, p. 281) haec faciat verba: „Von dem Burlesken geben die lateinischen Komiker, wie Plautus, oft bei weitem mehr, als sie bei den Attikern fanden; sie benutzten dann wohl außer ihrer eigenen einheimischen Komik die sicilische des Epicharm." Graecis fabulis multo uberiores esse facetiis Plautinas, Müllero assentior, dissentio ab eo Plautum arbitrante sales quosdam non de suo, sed de Epicharmi penu promsisse; haec vero judicasse videtur Müller ex illo Horatii (epist. II, 1, 57) versu male intellecto: „Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi." De cujus loci interpretatione vide quaeso: Th. Ladewigium, Ueber den Kanon des Volc. Sed. (1842) p. 19—26 et Philolog. I, p. 276 —285. Hunc Horatii versum recte interpretanti jam alia causa non est, cur Plautum facetiarum, quae in illius comoediis inveniuntur, auctorem neget. Neque magis debet Graecis metaphoras, quarum longe plurimae ab iis rebus sint petitae, ad quas animos Romani, non Graeci advertere solebant. Jam vero vel eas metaphoras, quae Graecis respondeant, Plauti ingenio non deberi noli temere confirmare, cum, ut jam supra dixi, ex utrique populo communi et hominum et rerum observatione esse profectae possint; idque de his metaphoris judicare ausim: Men. v. 157: „Dies quidem jam ad umbilicum dimidiatus mortuost" (p. 5), Pseud. v. 107: „ita supercilium salit" (p. 4), Trin. v. 102: „Hostisne an civis comedis" (p. 6), Capt. v. 521: „Nec sucophantiis nec fucis ullum mantellum obviamst" (p. 12), Trin. v. 398: „Suae senectuti is acriorem hiemem parat" (p. 28). Itaque Plauti metaphoras paucis illis quas a Graecis non petitas esse pro certo negavi exceptis vere Romanas dixerim. — Operae mihi pretium videbatur perspicere ac percipere, quoad ejus facere poteram, quae Plauti et Terentii metaphorae apud scriptores comicis nostris posteriores reperiantur, repertas annnotationibus adiicere. Duas puto illorum esse partes: alteri, quo in numero optimus quisque est antiquitatis scriptor: Cicero, Livius, Vergilius, Horatius, Lucretius, Ovidius, Seneca, Val. Flaccus, Tacitus aliique, cum iis tantum uterentur metaphoris, quae jam tritiores essent in

omnium consuetudine elegantiorum hominum neque comicum redolerent, magis Terentianis favebant, alteri Plauti comoediis acuratissime pervolutis etiam eas usurpabant metaphoras quae ut comici a scriptoribus superioribus in literas Latinas nondum receptae erant. Illorum princeps est Apulejus, diligentissimus Plautinae orationis imitator: huic se applicant Statius, Spartianus, Claudius Mamertinus, Ausonius, Symmachus, Prudentius, Claudius Claudianus.

VITA.

Natus sum Bruno Graupner die XIX. m. Aprilis a. h. s. L. Kempen in urbe Posnaniensi, patre Frederico Guilielmo, quem ante hos quattuor fere annos obiisse supremum diem lugeo, matre Frederica e gente Glumm, quam mihi maximo cum gaudio meo deus usque ad hoc temporis servavit. Fidem profiteor evangelicam. Haud multo post me natum patre Gynaicopolin, ejusdem provinciae urbem, vocato, ut ibi munere docendi in schola fungeretur, ego quoque, postquam annum attigi octavum, eandem in scholam Krügero v. ill. rectore etiam nunc florentem traditus sum. Sed amore studiorum philologicorum captus hanc scholam, jam in ordinem discipulorum primum receptus, reliqui, ut Posnae gymnasium evangelicum, quod tum J. Sommerbrodtii v. ill. auspiciis dirigebatur, adirem. Neque vero ibi diu moratus sum; nam uno semestri peracto Posna Glogoviam transmigravi ibique discipulis gymnasii catholici, quod etiam nunc floret Wentzelio v. ill. rectore, adscriptus sum. Tertio anno post testimonium maturitatis adeptus Almam hanc petii Viadrinam m. April. a. h. s. LXIX. Stobbe v. ill. fasces tenente, Schmoelders v. ill. decano. Scholas per quadriennium audivi vv. ill. Dilthey, Elvenich, Freymond, Grünhagen, Hertz, Junkmann, Lindner, Neumann, Reifferscheid, Roepell, Rossbach, Rückert, Scherner, Stenzler, Weber, Zupitza. Proseminarii et seminarii regii philologici quinque semestria eram sodalis, quod regebant vv. ill. Hertz, Reifferscheid, Rossbach, qui privatis quoque consiliis benignissime me adjuverunt. His omnibus studiorum meorum adjutoribus et fautoribus semper habebo gratiam maximam.

THESES.

1. Recte Mommsenus (R. G. Bd. I. S. 882, Anm.) contendit, Plauti multis rebus esse similem Shakespearium.

   Legendum propono:

2. Cic. de legg. I, § 23: „mentique divinae et praepotenti; unde est jam universus hic mundus una civitas communis deorum atque hominum existimanda.“

3. Cic. de legg. I, § 48: „Quid? liberalitas gratuitane est, an mercenaria? Si sine praemio benignus es, gratuita, si cum mercede, conducta.“

4. Com. graec. fgg. ed. Meineke III, p. 31:

   Τονδὶ λέγω, σὺ δ' οὐ συνίης· κότταβος
   τὸ λυχνίον ἐστί· πρόσεχε τὸν νοῦν· ᾠὰ μὲν
   καὶ πέμμα καὶ τράγημα νικητήριον.
   B. περὶ τοῦ γελοίου κοτταβιεῖτε τίνα τρόπον;

   Ceterum, ut nuper vidi, hanc lectionem jam Schweighaeuserus ad Athen. XV. p. 666 proposuit.

5. Com. graec. fgg. ed. Meineke IV, p. 414:

   Δόλιος τεχνίτης ἐστὶν ὁ χρόνος, ὦ ξένε·
   χαίρει μεταπλάττων πάντας ἐς τὰ χείρονα.